

Haase, Friedrich
Ad L. Annaei Senecae
dialogorum libros V
adnotationes criticae

PA
6661
D8H3

INDEX LECTIONVM


IN

VNIVERSITATE LITTERARVM VRATISLAVIENSI

PER AESTATEM A. MDCCCLII.

A DIE XIX. MENSIS APRILIS

HABENDARVM.



INSVNT FR. HAASII AD L. ANNAEI SENECAE DIALOGORVM LIBROS V. ADNOTATIONES
CRITICAE.

TYPIS VNIVERSITATIS.

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

PA

6661

D8 H3



S04191

RECTOR ET SENATVS

S. P. D. COMMILITONIBVS.

Quas vobis scholas offerimus, commilitones humanissimi, in omni litterarum genere plurimas et utilissimas, iis non dubitamus quin diligenter, ut soletis, et assidue usuri sitis; illud magis cohortandi estis, ut ipsa diligentia recte utamini, de qua re accipite praeclaras quasdam Senecae sententias. *Ante omnia necesse est se ipsum aestimare et eo inclinandum, quo te vis ingeui feret; male enim respondent coacta ingenia; reluctante natura irritus labor est. Aptari onus viribus debet nec plus occupari, quam cui sufficere possimus. Quidam veniunt, ut audiant, non ut discant; aliqui et cum pugillaribus veniunt, non ut res excipiant, sed ut verba, quae tam sine profectu alieno dicant, quam sine suo audiunt. Sed quod in corporis nostri alimentis videmus sine ulla opera nostra facere naturam, idem in his, quibus aluntur ingenia, praestemus, ut quaecunque hausimus, non patiamur integra esse, ne aliena sint: concoquamus illa: alioquin in memoriam ibunt, non in ingenium. Illud praecipue impedit, quod cito nobis placemus; sed nihil honeste fit, nisi cui totus animus incubuit atque adsuit, cui nulla parte sui repugnavit. Ut in omni vita fugienda est levitas semper aliquo transsiliens, sic in studiis etiam illi, qui ex aliis propositis in alia transsiliunt aut ne transsiliunt quidem, sed casu quodam transmittuntur, quomodo habere quicquam certum mansurumve possunt suspensi et vagi? operose nihil agunt, quia omnia hauriunt animo perforato et transmittente quicquid accepit; nec passim carpenda sunt nec aride invadenda universa: per partes pervenitur ad totum. Lectio auctorum multorum et omnis generis voluminum habet aliquid vagum et instabile: certis ingeniis immorari et innutriri oportet, si velis aliquid trahere, quod in animo fideliter sedeat. Fastidientis stomachi est multa degustare, quae ubi varia sunt et diversa, inquinant, non alunt. Nusquam est, qui ubique est.*

Sed quod vobis suademus, id nobis quoque faciendum esse visum est, ut non subito relicta quae in manibus erat materia in aliam transsiliremus; cum enim praefandi hoc officium

delatum nobis sit dum in Seneca haeremus et emissis jam Teubneriana editione duobus voluminibus tertium cum maxime parandum est, constituimus oblata hac opportunitate non singulares aliquot et jucundiores Senecae locos decerpere sed ordine eorum omnium rationem reddere, in quibus nostra illa editio a Fickerti exemplo discrepat, explicatis simul, ubi opus esse videbatur, nostrae sententiae rationibus additisque nonnunquam novis conjecturis.

Dialogorum lib. I. Quare aliqua incommoda bonis viris accidant, cum providentia sit.

CAP. I, 2. *Ex disposito relucendum*] Quod F. scripsit *ex disposito lucentium*, neque satis latinum videtur neque rei propositae aptum; debebat enim certus ordo vel, ut ipse Seneca ante dixit, aeternae legis imperium significari; cf. Dial. VI, c. 26, 6. *uno igne, quicquid nunc ex disposito lucet, ardebit.* — *ib.* § 6. *parat* scripsi, non *praeparat*; illud auctoritate codicis optimi A. firmatur, hoc glossae speciem habet. — CAP. II, 6. (4). *Languent per inertiam saginata*] Suspicio scribendum: *Languent corpora per in.* non enim recte abest ea ipsa vox, qua in similitudine res comparata significatur. Deinde pro *at ubi* scriptum malim: *at cui.* — *ib.* § 11. (S). *dum ille vir] dum* scripsi, non *cum*, ob anaphoram. — CAP. III, 3. post *quid ergo?* interpunxi e more Senecae; id ipsum facere debui c. 6, 2 (1). *quid ergo? miraris* — ? sed illo quidem loco praestabat fortasse restituere, quod ante F. vulgatum erat: *quid ego istum* — , aut: *Quid? ego istum.* — CAP. IV, 1. *Prospera re * * sed in plebem ac vilia ingenia deveniunt*] Quamquam sanatus videri hic locus poterat omissis vocibus *re sed*, ego tamen omittendas non putavi, cum sint in cod. A. in quo sec. m. scripsit: *res et*; similia sunt in cod. B. et in vetustissimis edd. quare verisimilius est excidisse aliquam sententiam; certe apte addi poterat, quae vulgo prospera habeantur, non cadere in viros magnos. — *ib.* § 2 (1). *vir es* scripsi ex cod. A. pro *es vir.* — *ib.* § 3 (2). Vox *una* parum apta; nec melius est, quod libri quidam *unam* habent; ego conjicio *universam.* — *ib.* *quidam ipsi ultro se cessantibus malis obtulerunt*] Non ejeci vocem *ipsi*, quae est in optimis libris nec debet illata a librariis videri ad explicandam vim vocis *ultro*; fit enim haud raro, ut eadem notio in una sententia bis ponatur diversis orationis partibus expressa, quarum cum aliae pertineant ad aliquod nomen, aliae ad verbum, non sine gravitate significatur ejusdem notionis vim cerni simul et in personis vel rebus et in earum conditione vel actu. Frequens hoc est orationis copiosae genus et multiplices formas habet, e quibus est simplicissima, quam h. l. restitui; significatur autem simul adesse et in hominibus promptam voluntatem et in rebus nullam necessitatem, qua ad mala perferenda cogantur. — *ib.* § 4. *Gaudent, inquam*] ita necessario scribendum fuit; neque enim adversarii alicujus sententia ponitur, in qua *inquit* solenne est, sed suam ipsius sententiam Seneca cum aliqua adseveratione repetit, ut eam

iterum vel aliis argumentis confirmet vel aliis certe verbis, aliis artificii exornet; cf. c. 2, 9. 4, 5. Dial. III, 8, 2. 14, 3. IV, 21, 1. 28, 5. V, 14, 6. VI, 12, 4. X, 7, 7. XI, 6, 5. Nat. Quaest. IV, 13, 8. Epist. 11. extr. 33, 5. 38, 2. 40, 14. 59, 2. 15. S5, 33. et alibi. — Quod deinde legebatur *belli triumpho* vel *bellis triumphans*, quorum utrumque habet cod. A, illud a sec. m., ferri non potest; alterum etiam absurdum est, quia belli triumphus non potest pari loco cum rebus adversis poni, alterum nec bene nec latine dictum est, quandoquidem bellis triumphare h. l. sic intelligendum est, ut sit oblata bellorum gerendorum occasione gaudere. Accedit praeterea, quod sequens sententia non potest apte a pronome *ego* incipere, cui cum nihil praecipui ponderis insit, necesse est aliquam vocem praepositam fuisse; quare nihil verisimilius, quam quod Rubenius et Gronovius conjecerunt: *Triumphum ego*, ut illud sit nomen proprium murmillonis; quod cum librarii non agnoscerent, triumphum nomen putaverunt cum propinqua bellorum mentione aliquo modo conjungendum esse. Ceterum quod gladiator aliquis Triumphus nomine memoratur apud Martial. de spectace. 22, id ob temporum rationem conjecturae illi obstare dici non potest propterea quod neque omnia illa epigrammata Martialem auctorem habent, neque credi necesse est, unum tantum gladiatorem Triumphum nomine usum esse. — *ib.* § 7. *grave est teneris cervicibus jugum*] Ita scripsi libros deteriores secutus, quia quod est in melioribus *ferre* pro *teneris*, neque habet aptam et usitatum Senecae structuram et ad sententiam supervacuum est, in qua necesse est aliquid positum fuerit, quo inexpertorum hominum cervices significarentur. — *ib.* § 8. Ad didi item ex deterioribus libris voces *aut luctu*, quas verisimilius est in melioribus casu omissas quam in illis a falsario esse adjectas. Contra *ib.* § 9 (8) non nimis durum putavi in illa sententiae forma et particulam ante voces *nisi aliquid* e plurimis et optimis libris retinere, quam eiecit qui vellet orationem commodiorem facere. — *ib.* § 12 (11) *patiamur*, quod ante F. vulgatum fuit, retinui pro *patimur*, quod est in libris mss., flagitante sententia. — CAP. V, 9. (7). *et ante volnera* addidi e codd. ex iisdem deinde scripsi *hoc passa est*, non *haec*; suspicor tamen gravius hic vitium latere; malim fere: *in hoc parata est*; certe haec est sententia: hoc est illud rerum genus, paupertas, volnera, acerba funera, quod unum in hanc materiam (bonum virum) cadere possit. — *ib.* § 10. (8) *esse post vadendum* inutile additamentum omisi secutus codicem A. — *ib.* § 11 (9). Mirum est et vix credibile, quod legitur apud Ovidium longe alia sententia: *finge datos currus*, id a Seneca sic esse mutatum: *junge datos currus*; et cum in cod. A. a pr. m. scriptum sit *dat*, conjicio Senecam ipsum omissis Ovidii verbis tale finxisse responsum: *jungere da currus*, cum fortasse in mente haberet talia, quale illud est Virgilii Aen. VI, 697. *da jungere dextram*. Deinceps Solis nomen majore littera scribendum fuit. — CAP. VI, 4 (3). *adspicis et videris* ex cod. A. scripsi; *adspicitis et videritis* vel *videtis* ficta sunt ob orationis aequalitatem. — *ib.* § 9 (8) *destinavi* praetuli codicum scripturae *aestimavi*, quae neque rei satis convenit et facillime potuit ex errore oriri; cf. Sen. Theb. 157. Deinde vocem *via* et conjunctura addidi, quod suadet codicum mss. scripturae *vi, vie, in*. — In fine libri posui lacunae signa propterea quod deest pars illa, quam Seneca c. 3, I postremo loco se tractaturum dixerat: *Persuadebo deinde tibi, ne unquam boni viri miscerearis. nec credibile est, in tam exiguo libello unam partem eamque promissam oblivione omitti potuisse.*

Dialogorum lib. II. Nec injuriam nec contumeliam accipere sapientem.

CAP. I, 2. Post voces *quid enim?* interpunxi. Ibidem paulo post abjeci scripturam, quam F. ex cod. A. receperat *eo nexa* et restitui veterem lectionem, quae in eodem cod. A. est a sec. m. neque enim ullo modo videtur *eo* vox hic explicari et defendi posse; de re ipsa cf. Nat. Quaest. I, 3, 9. 10. — CAP. III, 1. Adjeci speciminis causa vetus additamentum: *vel restitum*, quod in marg. cod. A. positum deinde omnes libros mss. occupavit; ceterum subditicium esse indicio est et *vel* particula et locus alienus; nam profecto qui id addendum iudicavit, addi voluit post *tectum*. — *Ib. cap. extr.* haud scio an praeferenda fuerit vulgata lectio *collegit*, quamquam *colligit* est in omnibus codd. mss. — CAP. VI, 3 (2). *id quoque ea parte*] Cum in libris mss. legatur: *quoque ea parte*, facillimum mihi visum est pronomen *id* adjicere; possis etiam scribere *idque ea parte*, aut quod F. de sua conjectura recepit *eaque parte*, quae omnia eandem fere sententiam habent; sed qua ego usus sum, lenissima est emendatio, quam confirmat locus similis de Benef. VI, 3, 1. *cum videat sibi nihil relictum praeter jus mortis, id quoque si cito occupaverit*. — CAP. VII, 1. Reposui e libris mss. omnibus *dicas ista, ut soles*; neque enim video, cur id ferri non possit; F. retinuit vulgatum: *dicas, ita ut soles*. — *ib. § 2. mali [non] tam bonis perniciosi quam inter se*] Etsi haec Senecae sententia est, non esse revera malos bonis perniciosos, tamen quod *non* particulam adjiciendam indicavi, nunc factum nollem; non enim videtur hoc loco id dicere, quid efficiant mali, sed illud tantum, quid velint efficere et quo pertineat eorum malitia; itaque hoc nomine cum bonis comparantur, quod bonis quidem inter se pax est, mali vero pacem neque adversus bonos servant neque inter se. — *Ib. § 6 (5) ferri non poterat quod F. dedit, intentata manu deicere aliquis casus potest*; ego *intentatam manum* posui, quod ut comprobetur non opus est auctoritate codicis Orteliani; nam deinde quoque Seneca nec scripsit nec scribere potuit: *emissis telis declinare*, neque enim quod aliquando aliquo modo fit, semper fieri potest; hoc quidem loco quoniam et verba noninibus prope admota sunt et nomina ipsa illa manus, telorum, injuriarum plane pari loco posita, manifestum est non potuisse intellecto accusativo ablativum in prima parte poni, accusativum in secunda, praesertim cum utriusque constructio communi subjecto continuata sit. — CAP. VIII, 3. *minitantur* scripsi, quia quod cod. A. a pr. m. habuit *minelantur*, sic facilius emendatur quam si *minantur* scribas; verbis autem frequentativis Seneca valde delectatur. — *Ib. paulo post addidi et inter damna et dolores e codd. nec interpunxi ante damna, ut alia damna conjungas*. — CAP. IX, 1. *Omne autem fortuitum circa nos saevit et in vitia*.] Restitui scripturam codicum; nam neque opus est de Pinciani conjectura *citra* scribere, quia etiam quae *circa* sapientem saeviunt, non *in* ipsum saevire intelligitur, quippe qui, ut paulo ante c. 6, 3 dictum est, *dolores, damna, ulcerationes, vulnera, magnos motus rerum circa se fremulum securus adspiciat*; cf. Dial. IX, c. II, 7. *miser ad me aliquando pericula accessisse, quae circa me semper erraverint*. Epist. 41, 7. neque ex uno cod. Guelferb. et vetustis edd. Tertuliani vox *adsciscenda* fuit, ut legeretur: *saevit et injuriatur*; de quo verbo fuit minor h. l. dubitatio propterea quod eodem etiam alius Senecae locus foedatus potius erat quam correctus de Benef. VII, 31, 1, ubi ego id emendatione facillima et certissima ejeci; nec minus

id hic expellendum censui, ubi si vel maxime posset Senecae tribui, tamen male post fortiorum saevienti vocem poneretur. Sed quod in libris est *in vitia* commodum habet explicatum; inculcat Seneca quod saepe dicit, sapientis virtutem positam esse supra fortunae saevitiam, eos autem, qui non sint sapientes sed vitiis dediti, propter ipsa vitia sua esse illi subjectos, id quod supra c. 6, 7 exemplo divitum, libidinosorum, ambitiosorum, feneratorum demonstravit. Denique quod vitia dici videntur pro hominibus vitiosis, mirum non est in Seneca, nec fit sine ratione; vitia enim sunt, non aliud quidquam in hominibus, quod fortunae saevitiam in eos provocet; nec aliter dictum supra c. 2, 2, *adversus vitia civitatis stare*, aut de Clem. I, 17, 2. *luctari cum vitiis*, et talia plurima. — *ib.* § 3 (2). *nec aliter caret ira*] ita optimi codd. quamquam A. a pr. m. habuerat *caret*, quod errore ortum teneri non debuit. — CAP. X, I. Scripsi *qua* — *refutabimus*, quia aliter non potuit Seneca, ubi nihil nisi praedicit, quid sequente libri parte tractaturus sit; quod F. *quoniam* pro *qua* posuit, plane a re proposita alienum est, id quod superiores jam editores perspexerunt; nec opus erat cum illis *qua iam* scribere, cum in cod. A. sit *quam*, levi illud errore ex *qua* ortum, quod tenet cod. Ortelianus; pari modo *quam* habet codex optimus Paris. pro *qua* Epist. 66, 34. cf. F. ad Ep. 9, 4. *refutarimus* autem natum e confusione *b* et *u* litterarum, in antiquissimis libris frequentissima; ceterum in tali re futurum tempus Senecae usui convenit. Deinde *possimus* ex cod. A. et aliis duobus reposui pro indicativo *possumus*; illo enim quid ex minore ambitu injuriae consequatur aestimat, sequentibus verbis refert, quid factum sit. — *ib.* § 3. *sapiens* — *magnitudinem suam novit nullique tantum de se licere nunciari sibi*] Admonet me hic locus, ut errorem corrigam, in quo socios habui viros praestantissimos omnes, qui Vellejo emendando operam dederunt; apud illum enim lib. II, c. 66, 1 de Antonio et Lepido haec leguntur: *cum ambo mallent sibi nunciari quid passi essent quam quid emeruissent*; cum autem nemo singularem nunciandi verbi usum novisset, variis modis locum illum emendare studuerunt, donec Kritzius in mea emendatione acquievit qui conjeci *imputari* scribendum, idque ipse quoque mea editione recepi; neque est cur conjecturae poeniteat, video tamen rectius *nunciare* scribi, id quod et hic Senecae locus confirmat et alius Dial. XI, c. 6, 1. *Potest et illa res a luctu te prohibere nimio, si tibi ipse renunciareris, nihil horum, quae facis, posse subduci*. Pertinet item hujus usus observatio ad locum Quintiliani explicandum et defendendum, ad quem recte de Vellejo jam ante me statuisse Zumptium, et Kritzium fugit et ego nunc demum cognovi; est autem locus hic lib. XII, c. 11, 10. *revereor ne — pondus rei perhorrescam ac desperent ante experimentum; sed hi primum renunciant sibi, quanta sit humani ingenii vis, quam potens efficiendi quae velit; — tum cogitent, quantum rem petant quamque nullus sit hoc proposito praemio labor recusandus*. Eodem sensu similiter Seneca dixit Dial. IV, c. 28, 6. *ad se referre*, ut sit sibi ipsum dicere, secum cogitare. — *ib.* § 4. *nulla virtus est, quae non sentiat se perpeti*] Ita cum codd. scriptum volui, sed nescio quo errore ommissa est vox *se*; nihil autem est in illa scriptura, quod reprehendi possit; nullam virtutem esse ait Seneca, quae sine sensu sit; non nego tamen illud quoque placere posse, si in libris esset: *nulla virtus est, quae non sentias perpeti*, ut *quae* sit num. plur. gen. neutr. quamquam sic quoque retineri poterat *sentiat* et intelligi *sapiens*. — CAP. XI, I. Quod ex uno cod. Col. recepit F.: *pulcherrimam virtutem omnium, animi sanitatem*, non visum est probari

posse; sanitas enim animi latius patet nec in hunc locum convenit; ac ne illud quidem placet, quod ante F. vulgatum erat: *animi sanitatem magnitudinemque*; ipse quidem Seneca eam, de qua hic agit, sapientis virtutem vel quietem appellat, ut c. 14, 1. vel patientiam et ingentem animum, ut c. 15, 2. vel animi firmitatem, ut c. 13, 1. vel animi magnitudinem, ut c. 15, 3. itaque cum in cod. A. scriptum sit: *animi magni animitatem*, et in marg. *sanitatem*, ego scripturam illam ex eo quod verum est et ex glossemate conflata ratur omitta *animi* voce *magnanimitatem* posui. cf. Ep. 74, 13. — *Ib.* § 3. *et ut quisque contemptissimus et [ut] ludibrium est, ita solutissimae linguae est*] Sive addas *ut* particulam sive omittas, non puto sanam scripturam; certe si superlativi vim usque in ludibrii nomen propagare volumus, id quod Gronov. ad Liv. I, 23, 13 praecepit, non potuit *ut* particula repeti; fortasse scribendum est *et in* vel potius *ad ludibrium*, ut *et* particula posita putetur pro *etiam* sive *vel etiam*, usu apud Senecam frequentissimo. — CAP. XII, 1. *quibus animi mala sunt auctique in mains errores*] Suspicor addendam vocem *eadem* vel *paria* vel similem post v. *quibus*; cf. epist. 61, 1. — *Ib.* § 3. quo magis appareret vocem *adfecit* glossam esse quamvis vetustam, et particulam omisi codices A et V secutus. — In fine capituli post *opponitur* sic interpunxi, ut intelligeretur, id quod opponi sibi et jam solutum esse ait Seneca, in illa quae sequitur interrogatione contineri. — CAP. XIII, 2. Animum inducere non potui, ut vocem *valentes* cum Mureto et F. spuriam haberem, quippe quae cum voce sequente ita cohaereat, ut *valentes colorati* intelligantur ii, qui falsum valentium colorem habent; cf. epist. 16, 2. itaque vocem illam neque ejeci neque unciis inclusi; nunc vero re iterum considerata vellem unciis circumdedissem sequentes voces *male sanos*; has enim illarum interpretamentum esse pari modo copulae defectus arguit atque supra in v. *adfecit* et saepe alibi. — *Ib.* § 3. Cum pronomen, quod libris deest, necessario addendum sit, rectius id sic collocasse videor: *sic se ne suspiciet quidem*, quam vulgato ordine: *sic ne se suspiciet quidem*. — CAP. XIV, 1. *Quid refert quam habent, quot lectuarios habentem. quam oneratas aures, quam laxam sellam!*] Ita fere codd.; contra edd. habent: *quantum habeat*, et omittunt deinde v. *habentem*; ego nihil video, quod in illa codicum scriptura magnopere displicere possit, modo cogites, maritos et uxores intelligi et fortasse Maecenatem in mente habuit morosae uxoris cotidiana repudia deflentem; vid. Dial. I, c. 3, 10. — CAP. XV, 5 (3). *nullis adservatur janitoribus*] sic edidi e codd., et videtur etiam F. sic voluisse; vulg. *observatur*. — CAP. XVI, 1. (XV, 4). *quid apud nos incredibile*] Coniicias scribendum: *qui id apud nos incr.* — *Ib.* § 3 (2). *non est quod putes magnum, quo dissidemus*] Sic Erasmus emendavit; quod in libris mss. est *quod pro quo*, ortum est ob sequentem d litteram. — *Ib.* § 3 (2). Poenitet nunc, quod nimium tribuens librorum mss. consensui repudiavi praeclaram Rubenii conjecturam *conspiciente* ponentis pro *conspiciente*; ita enim facillima mutatione et verbum rei aptum et simul in componendo sapiente et conspiciente paronomasiae lus restituitur, cui Seneca saepe indulsit. Nec dubito nunc, quin item recte Gronovius Dial. V, c. 13, 4 scribendum iudicaverit: *dum consipimus*. ac fortasse etiam in Nat. Quaest. VI, 29, 2 cum eodem Gronovio et deterioribus qui videtur libris edi debuit: *non est facile inter magna mala consipere*, ubi in aliis est *non desipere*, quod ut glossematis speciem habet, ita sensu certe aptum est; illis vero locis conspiciendi verbum ut notum pro minus noto inductum est idque rei quae significanda erant parum ac-

commodatum. — CAP. XVII, 3. Intolerabile est quod ex libris mss. tenuit F. *pervenerat*, corruptum illud ex similitudine antecedentis verbi *didicerat*; ego quod dudum Mureto auctore vulgatum erat restitui: *pervenerit*. *Ib.* § 4 *factae* participium a F. invito praetermissum adjeci. — CAP. XVIII, 1. Quamquam potest utrunque ferri genitivus ille *feriendi*, si statuas in *contumelioso* inesse *studiosi* significationem, tamen aliquid scriptum fuisse indicio est verbum *ferebatur*, quod Seneca non potuit ita hic ponere, ut sit fere pro *dicebatur*; quomodo enim ad vulgarem hominum famam provocaret, qui ipse a Caligula derisus esset et qui de se ipso dicere videtur, quae legimus infra c. 18, 5. *solatio erit, etiamsi nostra facilitas ultionem omiserit, futurum aliquem, qui poenas exigat a procace et superbo et injurioso*. cf. Dial. III, c. 14, 4. quare mihi probabile est, nisi aliqua verba exciderunt, vocem *mirabiliter* coaluisse e duabus: *mira libidine*. — *Ib.* § 4. *At idem Cajus omnia contumelias putans, ut sunt ferendarum impatientes faciendarum cupidissimi, iratus fuit Herennio Macro*] Sic retulit Bongars. ex Cujaciano et in id ipsum ego conjectura incideram, nec est quicquam facilius aut convenientius; nam quod in libris optimis et plurimis est *putat*, quod F. servavit, ferri nullo modo potest et rectius certe vulgatum erat *putabat*; deinde vero quod e prioribus edd. retinuit F.: *et sicut ferendarum impatientes faciendarum cupidissimus, id et tribus locis a plurimorum librorum auctoritate discrepat et sententiam habet perversam*; dictum enim potius oportuit: et sicut faciendarum cupidissimus ferendarum impatiens, quia jam eo procedit oratio, ut impatientiae Caligulae exempla commemorentur; nec eleganter in illis deest verbum substantivum, cum majore interpunctione posita ab *Iratus fuit* incipiat nova sententia. Tot ac tanta cum sint in vulgata scriptura incommoda, mirum sane, quod non dudum Bongarsiana praelata est, quae vel si conjectura nitatur, proxime ad librorum fidem accedit et quod imprimis Seneca dignum, communem efficit sententiam narrationi interpositam. — *Ib.* § 5 (4). *Conturbatis ergo hoc ipsum solatio erit*] In libris mss. est *conturbatus*, ut id ad Caligulam referatur et nova sententia ab *ergo* incipiat; id F. toleravit, sed quam incommodum sit, senserunt ii, qui aut de Pinciani conjectura *cothurnatus* scripserunt, aut Erasmus secuti *conturbatis*, id quod ego probavi; nam cothurnatus etsi non sine acumine appellari videtur C. Caesar, ubi Caligulae nomen sibi tributum ulcisci narratur, vereor tamen ut id recte dicatur; paulo ante enim *crepidatus, auratus* dictus est et *soleatus* Dial. V, 18, 4. et *soccatus* de Benef. II, c. 12, 2, quippe qui, ut ibidem § 1 narratur, socculum auratum, immo aureum margaritis distinctum ostendere voluerit. Praeterea *conturbatus* ut non apte Caligula dicitur, ita aptissime ii, qui contumelias ab illo affecti confusi sunt consiliique incertae et inter ultionem et tacitam patientiam fluctuantes solatium denique petunt a spe alienae fortitudinis. — CAP. XIX, 3 (4). *urgeris* scripsi, quamvis in A sit *urgere*, quia talis forma ab Senecae usu aliena est, et potuit hoc loco facile error committi ob similitudinem vocis sequentis.

Dialogorum lib. III. de ira lib. I.

CAP. I, 1. *furens* e libris restitui pro *fervens*, cum in illo nihil sit quod offendat; item *ib.* § 2 *ac micant* pro *et micant* ex cod. A. — *ib.* § 7 (6). *est* post *cogitatio* abjiciendum putavi, quia non est in cod. A. — CAP. II, 3. In lacuna interposui fragmenta loci amissi ex

Lactant. de ira dei c. 17, 13. ed. Buenem. — CAP. III, 1. *iis pro his scripsi ex cod. A et deinde vocem tantum ex eodem aliisque plurimis omittendam indicavi. — Ib. § 3 (2). etiamsi haec efficiant, non haec petunt*] bis posui *haec* e libris pro vulg. *hoc*; scilicet intelliguntur injuriae ultio, poena et dolor alienus. — *Ib. § 7 (3)* Voces: *Regium esse illud et principale aliter dictum* secluseri tanquam glossena manifestum idque alieno loco adjectum; pertinuit enim ad *principale* paulo post memoratum. — *Ib. § 8 (5). illorum* scripsi, quod ex uno cod. Gryphisw. notatum, ut antea § 7 legitur *tota illorum forma*; intelliguntur enim animalia; qui *illarum* scripserunt, videntur *turbidas et confusas rerum species* in mente habuisse; alias oscitantiae excusationes vel etiam defensiones conquirendas non puto. — CAP. IV, 1. *non particulam inter iracundus et potest* omittendam esse et codicum quorundam mss. correctores et editores plerique intellexerunt, nec ea in re manifesta rursus proferri debuit. — CAP. V, 2. *Quid* pronomen in optimo cod. omissum, in aliis voci *homine* postpositum est, in plerisque praepositum, quos secutus sum. Deinde nimis tenue atque etiam ambiguum verbum *carissimos petere* ex uno cod. Vratislav. mutavi in *perdere*. Tum neque *commodis* scripsi, quod fuit vulgatum, neque divisis vocibus *in commodis* cum F., quia quod sequitur verbum *impendere* se et poscit dativum et tolerat malae rei dativum, ut epist. 9. 10. — CAP. VI, 4 (1). E conjectura scripsi *qui alius viri*; necessaria enim in priore hoc membro vitae mentio erat, cui in altero mors opponitur atque id jam dudum Muretus intellexerat, quem secuti editores scripserunt: *qui viri*; mihi probabilius videtur, cum vocis *viri* altera syllaba errore excidisset, altera cum antecedente voce conflata in *aliusui* orta esse illa, quae in libris leguntur *alicui, aliquando, alaeri*. — CAP. VII, 3 (4). *Commota enim semel et excussa mens ei servit, quo impellitur*] Non dubito quin recte sic F. ex libris mss. ediderit, cum alii pro *quo* vel *cui* vel *a quo* posuissent; sed illud quaeritur, sitne illud *quo* adverbium an ablativus sing. pronominis relativi; ac mihi quidem verisimilius illud videtur, propterea quod mens non ei servit, quod primum eam impellit, id enim regi adhuc et comprimi potest, sed ei potius, in quod impellitur; sunt ea non initia, sed ulteriora illa, quae deinde dicit, quae mentem vi sua rapiunt nec regressum relinquunt. Ceterum ut hujus usus exempla frequentia sunt, si ad nomen substantivum deinde adverbium relativum vel etiam demonstrativum refertur, ita rara sunt, si ad adverbium demonstrativum pertinet pronomen relativum gen. neutr., ut ap. Sen. epist. 20. 6. *fortasse perducetis ad summum aut eo, quod summum nondum esse solus intelligas*. ib. 44, 5. *inde, ante quod*. item ap. Sen. patrem suas. I, p. 5, ed. Bip. *regem domitoremque generis humani, magnum Alexandrum. eo demittitis, quod adhuc quid sit disputatur?* cf. Controv. 17. p. 219. Ad eam normam id quoque dici potuisse, quod h. l. dictum esse statuo, et ratio persuadet, et exempla comprobant; vid. epist. 49, 12. *facilius ad id quo tendo perveniam*. — CAP. VIII, 1. Verba illa [*et dare operam, ne incidamus in iram*] adeo vulgaria sunt et jejuna, ut mihi videantur potius alicujus interpretis esse qui lemma scriberet, quam Senecae. — *Ib. § 4*. Suspicio post v. *advocabatis* lacunam esse; deest enim altera pars argumentationis, cujus prima verba fuisse probabile est: *si autem aliquid faciunt*; potuit autem ea pars facile excidere, quia ejus exitum similem aut eundem atque in priore parte fuisse verisimile est; accedit etiam ad comprobendam hanc conjecturam sequens *denique* particula, quae nullo modo apta videri potest post unam eamque brevem sententiam. — *Ib. § 7 (6)* Convenientius

erat signis positis adversario adscribere verba illa: „*Quid ergo? non — abstinere?*“ sequitur deinde Senecae responsio, in qua prima vox *faciunt* suspecta est et potuit facile ab interprete addi; ipsum quidem Senecam probabile est aequalitate membrorum servata hic quoque ab interrogatione *quando?* exorsum esse. — CAP. XII, I (2). Quamquam *inquit* voce facile capemus, tamen nimium tribuisse videor codici Colon., qui eam uncis incluserim. — *Ib.* § 3. Assentior nunc Grutero excidisse aliqua ante verba illa: *Cum hoc dicis, Theophraste*; non enim ita compellere potuit Seneca Theophrastum, nisi antea dictum aliquod ejus retulit, quod simile fuisse iis oportet, quae § 2 dixerat adversarius. Similiter Seneca epist. 110, 6. Lucretium alloquitur, postquam ejus locum aliquem protulit, contra quem disputat. — *Ib.* § 5 (4). post *dignumque* addidi *pro* ex optimo cod. A. Paulo post adjecti et conjectura vocem *tam*, quo esset quod antecedenti comparativo responderet; minus placet altera ratio, ut scribatur, quod ante F. vulgatum erat, *praerapida*, et ira intelligatur, non adfectus. — CAP. XIV, I. Theophrasti nomen, quod est in libris mss. omnibus, cur cum Grutero subditiuum credatur, nulla idonea causa est; ego potius ex hoc loco colligo, supra quoque c. 12, 3. recte me amissum aliquod Theophrasti dictum suspicatum esse. Praeterea vulgatum verborum ordinem *ut bonus vir non irascatur*. mutavi ex cod. A. — CAP. XVI, 2. Quod Pincianus non *solidam nequitiam* sed *insolitam* dici voluit, causam non hanc solum habuisse videtur, quod in quibusdam codd. *solita* pro *solida* scriptum repererat, sed graviolem ut puto hanc, quod uno hoc loco, si recte memini, vocabulum illud translata quidem significatione non de re bona dicitur; rectius fortasse conjicias *solidata*; sed quoniam verendum est, ne eodem modo erremus in hac voce, quo alii in impendendi verbo, de quo supra dixi, scripturam vulgatam non mutò; ceterum simile est et item unius exempli, quod Dial. I, c. 6, 4. *vera foeditas* dicitur. — *Ib.* § 4 (3). *domus divites* scripsi, quia in cod. A. et aliis duobus est *domus divitis*; minus recte alii *domos*, alii denique *donum divitis*, aucta paulatim quamvis in re minima depravatione; ceterum pluralem numerum aptiorem esse, et quidem sic, ut non solum plures domus sed etiam plures homines divites intelligantur, satis manifestum est; pariter in valetudinario plures pauperes sunt et utrique per diversa aegrotant; quare nisi longius a codd. discedens *domus divitum* scripseris, nihil aptius et Seneca dignius quam quod ego edidi. Simul autem sciendum est, accusativi hanc formam *domus* praeter hoc exemplum apud Senecam gravibus testimoniis comprobari; nam et infra c. 19, 2. rursus ex optimo cod. A. *totas domus* reposui, et praebet item *totas domus* cod. palimpsestus omnium vetustissimus in fragmento quod Niebuhrius edidit pag. 103, l. 1. vel in Fickerti ed. vol. III, p. 745. Contra in eodem cod. A. *domos* scriptum esse proditum est in Dial. X, c. 14, 3 (6) et XII, c. 7, 1 (6, 8). quo loco ante F. edd. omnes *domus* habuerunt, quod ex uno cod. Mediol. D. sec. XIII vel XIV notatum; item legitur *domos* Dial. V, 19, 5. de Benef. VII, 31, 5. epist. 66, 8. 84. 12. 90, 43. 114, 5. 9. et in iis libris, quorum vetustiores et integriores codd. mss. non suppetunt, Dial. XI, c. 16 § 4 (3). *ib.* § 5 (4). Nat. Quaest. VI, c. 1, 7. et c. 30, 5 (2). Atque hanc quidem formam quamquam satis constat librariis familiariorum fuisse et haud raro injuria esse in libros invectam, tamen exempla illa intuenti peccare videatur, si quis alteram illam Senecae ubique restituat, et praestat in eo acquiescere, ut ipsum Senecam in ejus usu inconstantem fuisse dicamus. — CAP. XVII, 5. (XVI, 10.

totum enim hoc caput, quod erat sine divisione relictum, ego in sex capita descripsi.) *deinde defecit*] ita rectissime cod. A. cum aliis quatuor; neque enim quamvis antecedit praesens tempus *incipit*, ideo *deficit* scribendum erat, si recte Senecae consuetudinem novimus.— *Ib.* § 6 (XVI, II). ex eodem cod. A. *erepentium* edidi pro vulg. *repentium*; illud multo rectius significat primum serpentum egressum. — CAP. XVIII, I. (XVI, 12.) *Ratio id iudicare vult quod aequum est: ira id aequum videri [non] vult, quod iudicavit.*] Figuram haec verba habent notissimam et a Seneca crebro ornandae orationi adhibitam, quam *antimetabolen* dixerunt Quintil. IX, 3, 85. Alexand. Numen. inter rhetores a Walzio editos vol. VIII, p. 480. Poeta anon. de figg. v. 15. et haud dubie etiam Rutil. Lup. I, c. 6, quamquam qui nuper falsarius mancum illo loco Rutilii librum explere conatus est, imperite *metathesin* dixit auctore in eam rem usus Julio Rufin. de schem. lex. c. 9. p. 249; denique *commutationem* appellavit Cornificius ad Herenn. IV, c. 28 med. Isidor. II, c. 21, § 11. et qui hunc sequiore aevo secuti sunt Papias, Hugutio, alii. Atque ipsam quidem formam figurae si consideres et exempla ab artis magistris proposita, certe non necessariam, si non falsam dices *non* particulam, quam ego eo magis abiciendam putavi, quia plane intelligi non potest, cur iratus id aequum videri non velit, quod iusto celerius iudicavit; imo volet id vel maxime, ne sibi nimia in iudicio faciendo festinatior exprobetur, atque id ipse Seneca paulo post testatur: *etiamsi ingeritur oculis veritas, amat et tuelur errore; coargui non vult.* Accedit locus simillimus Dial. V, c. 7, 1. *ita fit, ut frequenter inrita sit ejus voluntas, qui non quae facilia sunt adgreditur, sed vult facilia esse quae adgressus est:* quare de omittenda *non* particula vix poterit ulla dubitatio esse, nec fuit editoribus ante F.. quamvis habeant eam codd. plurimi. — CAP. XIX, I. (XVI, 17.) *contra voluptatem* ex libris optimis recepi; F. tenuit *voluntatem*, quamquam illud ferri posse existimavit.— *Ib.* § 3. *suamet vestimenta.* praebuit cod. A; vulgo *sua rest.* — CAP. XX, 8. (XVI, 29.) *obstreperetur* pro *obstreperet*, ex A recepi nec est quod in eo offendas.

Dialogorum lib. IV. De ira lib. II.

CAP. II, 5 (6). Restitui verissimam Erasmi emendationem *Inde est, quod*—; nam *id est, quod* non video quomodo aut ratione aut exemplis comprobari possit; illud apud Senecam haud infrequens; vid. supra Dial. III. c. 15, 3. infra c. 28, 8. Dial. VI, 23, 2. Nat. Qu. III, 20, 4. VI, 13, 8. et alibi; semel dixit et recte *inde est ut* — de Benef. II, c. 26. — *Ib.* § 7. *Xenophanto* scripsi partim e codd., et videtur id A sec. m. habere, partim e Plutarcho. — CAP. III, 4. In libris optimis est: *hanc iram non voco motum animi rationi parentem*, quod quoniam ferri non potest, malui de mea conjectura vocem *voco* bis scribere, quam *sed* particulam, quae non ita facile excidere potuit, ante *motum* interponere, ut vulgo factum; nam quin haec quoque conjectura sit, quamvis illa jam codice Vratisl. prodita, nemo dubitabit; de usu sic repetiti verbi cf. epist. 32, 2. 37, 3. Rursus paulo post eadem *sed* particula e paucis libris recentioribus in omnes edd. propagata est ante voces: *ille sequens impetus*; scilicet ut ubique in particulis addendis assidua fuit librariorum industria, ita hoc loco adjuvit errorem falsa sententiarum divisio; hanc enim partem: *sed ille sequens impetus* — *adprobarit* adjunxerunt antecedenti sententiae et deinde majore interpunctione posita novam incipere

sententiam voluerunt ab illis: *Ira est conciliatio animi* —. Ego mutata interpunctio effeci, ut *sed* illud nemo desideret. — CAP. VI, 2 (3). Legitur vulgo: *Atqui iracundiae et tristitia comes est*; sed *et* particulam parum illam huic loco aptam vulgari errore natam esse conflata in unum antecedente et sequente littera, monstrant optimi codd., in quibus est: *iracundia et tristitia*. Pari modo alio loco Dial. IX, c. 1, 11 (8) rursus in cod. A. legitur *cura et tranquillitas*, ubi certissimum est recte scribi *curae tranqu.* Item Dial. XII, c. 9, 3, cum recte antea legeretur: *nae tu pusilli animi es non recte F.* ex cod. A. et aliis arripuit pravam scripturam eodem errore ortam: *nae et tu.* — *Ib.* § 4 *enim* particulam ejiciendam arbitror, quae quamquam est in cod. A, non tamen genuina videtur, quippe cujus loco in octo aliis legatur *inquil*, in uno *quidem*; quod autem vulgatum erat ante F. *inquam*, id non solum a libris fidem nullam habet sed etiam legem illam laedit, quam a Seneca in hoc verbo usurpando observari supra dixi. — CAP. VII, 1. (VI. 5.) Tollendum judico Socratis nomen, quod ab interprete adjectum esse manifestum est; neque enim illius exemplum commemoratur sed quid omni tempore in omnem sapientem cadat exponitur. — CAP. VIII, 2 (I). *nulli nisi ex alterius injuria quaestus est*] Pro *injuria* legitur vulgo *damno*, quod ex uno A mutavi, quia quod librarius aliquis ferre noluit vocabulum latius patente notione positum quam quaestus nomen desiderabat, id mihi non videtur reprehendendum esse. Deinde *majorem gravantur* scripsi pro *majore* item ex cod. A. non offensiva structura illa, quam habet Seneca etiam alibi; vid. de Clem. I, 13, 1. epist. 24, 25. — *Ib.* § 3. *hoc autem uno*] *Aulem* particulam ex cod. A. adjicere placuit, quae in tam propinqua hominum cum feris comparatione aptissima est; antea enim conversatio tantum hominum cum conventu ferarum comparata est; id autem recte fieri colligitur deinde ex eo, quod ipse quoque animus hominum pariter atque etiam minus immansuetus sit quam mutorum animalium; haec igitur ut recte discernantur, ipse Seneca particula addita videtur prospexisse. — CAP. IX, 4 (I). In praepositionem ante *praedam* quoniam omisit A codex cum quatuor aliis et cum vetustis edd., ego quoque abjiciendam statui; recte enim etiam illa constructio constat. — CAP. X, 2. (IX, 3.) Auctore A codice ejeci putidum additamentum *quod* particulam ante voces: *peccaturi sunt*. — *Ib.* § 3 (IX, 4). *altera alteris*] In optimis libris mss. et in edd. vetustis non recte legi *altera alteri* supervacuum est demonstrare nec credo Fickerto id placuisse quamquam retinuit; nec multo melius vulgo legebatur *alter alteri*; ego una addita littera videor mihi Senecae manum restituisse. — CAP. XI, 2 (3). *nec [hoc] sapienti adici velim*] sic libri optimi, nisi quod *ne* habent, quod F. tenuit, ego ferri posse nego; *hoc* pronomen quia et sine damno abesse potest et originem fortasse habet ab illa ipsa *c* littera a *ne* voce avulsa, delendum suspicatus sum nec tamen repugnem si quis tueri velit. Deinde *aequid* scripsi, quia in A cod. supra *quid* scriptum est *et*; sic autem solet *aequid* corrumpi; ceterum si non legatur *aequid*, vix placeat nudum *quid?* sequentibus praepositum, sed exspectes *quid enim?* Denique paulo post nullam video causam, cur cum F. contra omnes libros *ut contra* scribendum sit, non autem *ad contra*, quas particulas Seneca saepissime conjungit; nec quia *sic* sequitur, ideo *ut* antecedere necesse est. — *Ib.* § 4 (XII, 1). Reposui vulgatam scripturam *morsus* auctoritate codicis A firmatam et aliorum plurimorum; *mors* non potest cum F. ita inter res contemptissimas numerari. vid. ep. 82, 16. — *Ib.* § 5 (XII, 2). *pimis* scripsi, quamquam habet A cum aliis

pennis; veriore scripturam praebet idem cod. A paulo post et cod. Nazarianus de Clem. I, c. 12. 5. cf. Sen. Hippolyt. v. 46. — CAP. XII, 6 et XIII, 1. (XIII, 3.) Recepti plurimorum codd. scripturam, quam probaverat etiam F., quamquam retinuit vulgatam hanc: *comites ejus adfectus? Non est* —. — CAP. XIII, 3 (5). *Debet ira removeri.*] sustuli quod post haec verba vulgo ponebatur interrogandi signum. — CAP. XV, 1. *fortia* cod. A. praebuit; vulgo *fortiora*. — CAP. XVIII, 1 (2). Voces *ut vitemus* uncis inclusi; manifesto enim sunt e margine illatae idque alieno loco, nimirum interpres iis non *compescere* verbum, sed *repellere* explicare voluit. — CAP. XX, 2 (3). Non spernendum duxi, quod est in cod. A. *implendi sint* pro vulgato *sunt*; ex eodem deinde § 4 adscivi *dissimilimis* pro vulgato *dissimilibus*. — CAP. XXI, 7 (5). *aures superbas adsentatorum turba circumstrepit: „Tibi enim ille respondeat?”*] Duas causas habui, cur e mea conjectura *circumstrepit* scribebam pro vulgato *circumstetit*; nam primum non homo ipse appellatur, sed superbae aures, quas bene circumstrepere, non bene circumstare turba adsentatorum dicitur; deinde ut saepe solet Seneca suae orationi sermones hominum admiscere, ita hic quoque deinde blandientium verba sequuntur, ad quae aptissime praeparamus, si illi non circumstantes sed circumstrepentes appellantur. Cf. epist. 91, 18. *Non est tamen, quod istis, qui te circumstrepunt, credas.* Sed erunt tamen fortasse, qui his rationibus rem confici non putent atque mihi ipsi interim scrupulus subnatus est; dubito enim an verbum illud *circumstrepere* soleat de molesto tantum sono et de ejusmodi verbis vel orationibus dici, quae sint minaces et timorem afferant; tale est exemplum illud, quod posui, talia etiam illa Dial. VII, c. 11, 1. *quomodo resistet labori et periculo, egestati et tot humanam ritam circumstrepentibus minis?* Epist. 82, 4. 56, 4. 14. talia item sunt loca Taciti hist. II, 44. Ann. III, 36. XI, 31. et Manil. I, 23. Quare de conjectura illa suum cuique iudicium esto neque in ea vertitur ipsa hujus loci sententia; at quae sequuntur verba vereor ut quisquam adhuc intellexerit; non enim crediderunt haec ipsa jam turbae verba esse, sed eorum quasi praefationem; Ruhkopffius certe qui *ille* pronomen omittebat, ut fieri ante F. solebat, interpretatus est sic: *haec turba tibi dicere solet.* in qua ratione neque intelligitur, cur Seneca *tibi* pronomen primo loco collocaverit, neque quomodo *respondere* dicere potuerit, ubi nihil est, ad quod respondeatur; Fickertus vero, qui *ille* vocem restituit, quid intelligat, non dixit. Ego haec omnino non credo intelligi posse nisi interrogandi signum ponatur; agunt blandientes coram eo, cui blandiuntur, de altero aliquo, quem is ex illorum sententia non satis despicit; de hoc igitur interrogant: tibi enim, homini tam magifico, illum convenire et dignitate respondere putas? quod si facis, non pro fastigio tuo metiris, sed ipse te projecis. Haec nemo non videt esse in rem praesentem accommodatissima; *enim* autem particulam sic in interrogatione poni posse vix est cur probem; cf. tamen infra c. 29, 3. Dial. V, c. 27, 3. VI, c. 22, 1. epist. 27, 1. 77, 16. et al. — *ib.* § 11 (XXII, 3). Addidi *sit*, quod quin exciderit dubitari non potest; Erasmus posuerat post *omnia*, Fickertus, siquidem ponatur, voluit post *temis* poni; mihi aut inter *victus* et *et* aut inter *vestis* et *et* excidisse videtur. — CAP. XXIII, 4. Scripsi *I. Caesar*, non, ut vulgo, *C. Caesar*, ea causa, quae quamquam a Fickerto commemorata non eum tamen movit, ut in hac re optimum cod. A. sequeretur. — CAP. XXV, 2 (3). Frustra fuerunt qui *bilem* loco movendam aut cum alia re commutandam putarent; Seneca non *φλεγκίνας*

in mente habuit, quas dixit Ael. V. H. IX, 24. sed omnino fatigationem, qua bilem moveri dixit infra Dial. V, c. 9, 4. — *Ib.* § 3. *mollis patitur* est in cod. A. et Col. nec est cur id repudietur; vulgo tamen legitur *mollis patimur*. — CAP. XXVI, 5. De equis obsequentiis dubitari non debet; eosdem reduxi, unde ejecti erant, de Benef. V, c. 25, 4. sed vox *equiti* vix dubito quin ab interpretis manu sit. — CAP. XXVII, 4. *ipsi nobis dicere*] sic transposui voces has ex cod. A. atque id voluisse etiam F. videtur; vulgo: *ipsi dicere nobis*. — CAP. XXVIII, 1. (XXVII, 5.) Vereor ne subditiua sit vox *tempore*. ut legamus: *cum illo ipso peccemus, quod adicimus*. — *Ib.* § 3 (2). Verum est, quod praebent codd.: *credamus objurgantibus*, non quod Erasmus inveniit *cedamus*; idem restitui infra Dial. V, c. 24, 4. — *Ib.* § 5. *alios pro nobis facere*] Sic necessario scribendum; nam tenentes quod est in codd., plurimis: *alios pronos facere*, aut si recte *pronos* interpretabimur, repugnabimus Senecae consilio, aut si huic interpretationem accommodabimus, falsa illa erit, sicut Ruhkopfius dixit *pronos* esse incautos, impetu aliquo abreptos, non consilio certo ductos, id quod ipse cautior exemplis confirmare non conatus est. Ceterum inter diversas injuriarum excusationes illa omitti non poterat, quod aliquando contra nos facta opinamur, quae quis pro nobis facere sibi visus est. — CAP. XXIX, 2. *Suspica* quomodo hoc loco memorari poterit, nemo credo intelliget, eoque etiam minus, si Ruhkopli defensionem legerit; dici potest *suspica* aut is, qui difficulter fidem adhibet rebus narratis, qualis deinde § 3 describitur, aut is qui falsis suspicionibus ductus falsa renunciat; is autem est idem ille, qui paulo ante dicitur mentiri deceptus; hic non poterat alius appellari nisi subdolos aliquis alienarum inimicitarum machinator; quare vocem importunissimam statuo e margine irrepsisse idque, ut saepius factum, loco alieno; quae ejecta nihil desideres. — *Ib.* § 3. Non debuit anaphora vel epibole figura perdi posito interrogandi signo post *interroges*; ego posui post *de praesentibus*; qua locutione ea omnia comprehenduntur, quae deinde singulatim enumerantur ter repetita voce *antequam*. — CAP. XXXI, 6 (5). *Adspice taurorum iugo colla submissa et elephantorum pueris pariter ac feminis persultantibus terga inpune calcata*] Sic e conjectura scripsi jussis tauris et elephantis locos inter se permutare; quis enim unquam inauditiv elephantos iuga ferre? quis non meminit, quotiens idem de tauris memoretur? atque id eodem etiam verbo usus facit auctor panegyrici ap. Tibull. IV, 1, 170. *hinc et colla iugo didicit submittere taurus*; cf. ipsum Tibullum I, 10. 46. 3, 41. II, 1, 41. Ovid. Metam. I, 124. adde Cic. de N. D. II, c. 63. et de Graecis Aesch. Prom. 454. Soph. Antig. 351. Deinde terga taurorum quomodo calcari a persultantibus possunt? ac si possunt, certe non de pluribus simul pueris ac feminis cogitabis, quibus elephantorum terga commodissimum praebent spatium, ac verisimile est spectaculo fuisse elephantos non solum turres hominibus plenas gestantes et funambulos et saltantes ipsos, sed etiam qui saltantium choros ferrent. — CAP. XXXII, 1 (2). Restitui scripturam omnium librorum mss., nisi quod voces *ultio et* ut e glossemate ortas uncis inclusi; non enim fugere quemquam potest et de uno aliquo verbo agi et de verbo, quod haberet certum quendam in jure usum; quare *talio* aptissime dicitur et vehementer fallitur Fickertus, qui praeter morem suum conjecturam secutus damnavit id nomen ejusque loco reposuit quod et sensu supervacaneum et usu ac collocatione vix latinum est: *et alio*, ut sententia haec sit: neque alia re nisi ordine ultionis verbum multum ab injuria

differt. *Ultio* vero neque sola relinqui neque talioni addi potest; neque enim ea vox tamquam jurisconsultorum propria haberi potest; potuit vero ab interprete adscribi, qui talionem vellet vulgari vocabulo explicare. Ad sequentia vero injuriam intelligendam esse, a qua non multum differat talio, manifestum est; neque id durum esse dixerim, cum proxime antecedentia ad injurias pertineant. Ceterum id quod in Seneca non negligendum, non aliena est talionis mentio a declamatoribus; vid. Sen. rhet. p. 348. 349. 402. ed. Bip. cf. epist. 81, 5, ubi item in uno cod. librarius *ultionem* supposuit pro talione. — *Ib.* § 3 (4). Vocem *canum* rursus e glossemate in plurimos codd. venisse verisimile est; nam et commode ea caremus et est ejus loco aliud glossema in cod. A et in cod. Jureti: *civium*; scilicet in illo interpret spectavit, cum quo comparetur is, quem magnum et nobilem dicit Seneca, in hoc vero, quis ille sit, qui cum feris comparatur. Ceterum si necesse sit alterum utrum eligere, ego hic non sequar optimum cod., ut minutos cives dictos putem, sed magis probo minutos canes, qui possunt etiam pro hominibus contumeliosis dici. cf. Dial. V, c. 25. 3. — CAP. XXXIII, 6. *Contempsisses* edidi cum ed. Bipont. sensu flagitante; nam quod est in codd. mss. *contempsisset*, ferri nullo modo potest; neque enim quisquam puto cum Fickerto Priamum intelligere volet; causa vitii posita est in simili terminatione sequentis verbi *timuisset*. Paulo post praestare mihi visum est voces: *benignus interim et comis adulescens* cum antecedente verbo conjungi quam cum sequente. — CAP. XXXIV, 3 (2). Haud injuria Lipsio abrupta visa est oratio, cum legeretur; *ne irascamur*; ego mihi videor omnem offensionem sustulisse eo quod *nec* pro *ne* scripsi; superioribus enim praeceptis duobus, ut bene meritorum inimici memores simus et ut clementiae famam quaeramus, aptissime sic adjungitur tertium hoc, ut si clementiae nulla sit in inimici causa aut locus, certe in liberis ejus iram ne transferamus. — CAP. XXXV, 1. *non vitabimus impetus animi hos graves, funebres et inrevocabiles?*] In hoc loco emendando proxime secutus sum codicem A. qui sic illa praebuit, nisi quod pro *funebres* una littera ommissa scriptum erat *funeres*, unde sec. m. operosius correxit *funerosos* et latius serpente depravatione alii *furiosos* et praeterea *his graves magis* scripserunt, quae etiam F. retinuit, sententia vehementer jejuna; quis enim credat Senecam similitudine illa ab armis et gladio petita sic usum esse, ut quos vitari jubet impetus animi, armis illis graves magis esse dicat? quasi vero gladius habilis et inrevocabilis animi impetus pondere inter se conferri possint. Nimirum causa cur sic erraretur, fuit, quod non intellexerunt animi impetus, de quibus hic agit Seneca, esse eos ipsos, de quibus jam ante dixit, illos videlicet, in quibus iratus aliquis manum relinquit in vulnere et revocare se ab ictu non potest; eos igitur impetus rectissime appellat pronomine etiam addito *hos graves*, et id nunc minus latere puto, postquam novi capituli initium, ut debuit, posui ante *nunquid*, non ante *arma*. — *Ib.* § 5. *teterrimae* scripsi, non *deterrimae*; hoc enim parum rei convenit; illo Seneca saepius de ira usus est; vid. Dial. III, 1, 1. V, c. 3 extr. c. 4, 3. 41, 4. — CAP. XXXVI, 6 (5). *minimumque flexibile*] hoc est: quod minimum flectitur; praeferrī autem haec scriptura debuit, quae quamquam non est nisi sec. m. codicum A. et D. servata, confirmatur tamen etiam falsa plurimorum scriptura: *nimum*; minime denique probanda illa erat, quam ab Erasmo aliquando receptam F. arripuit: *minime*, quae in uno cod. Vratisl. est ab librario, qui ferendum non putaret, quod ipsi tritum non esset.

Dialogorum lib. V. De ira lib. III.

CAP. I, 4 (3). Omisi auctore cod. optimo supervacaneum additamentum *ceteris ante etiamsi*. — CAP. II, 2 (3). Non bene legitur in codd. et edd. omnibus: *saepe in ira uno agmine itum est*. intelligitur enim non nata jam ira sed nascens, et est eundi hic usus Senecae in deliciis; vid. de Benef. I, 10, 2. *in crudelitatem privatam ac publicam ibitur*. Dial. I, c. 5, 9. *ingenia in somnum itura*. Epist. 36, S. 79, 10. *in hoc ire impetu toto*, et alia ejus generis multa. — *Ib.* § 4. Nemo credo semel monitus dubitabit, quin voces illae: *in multo honore aliena manu adscriptae sint ad interpretandum adjectivum favorabilis*; cujus rei etiam testimonium habemus aliud scholion in codicem Colon. illatum, cujus auctorem non legisse illas voces perspicuum est. — *Ib.* § 5. scripsi *in infanda*, addita *in voce*, quae facillime excidere potuit; neque enim hoc agitur, quam infanda sit rabies, sed quam infanda illa sint, in quae civitatem rabies abripuit. — CAP. IV, 4 (3). *Quam non [sit] potens* Vocem quam unci inclusi non credo a Seneca esse, quia et supervacanea est et turbat etiam structuram; addita enim illa haud facile intelligas *quam particulam ad sequentia quoque pertinere*. — CAP. V, 4 (3). *ira [quos] incendit, paucis gratuita est* Addidi quos pronomen e conjectura; nam fieri non posse, ut *incendit* per se ponatur, dudum intellexit Muretus; sed quod ille coniecit *impendit* quamquam facillimum videtur, non tamen probabile visum est; libri enim mss. omnes consentiunt in voce *incendit*, quae neque errore neque consilio facile potuit ex *impendit* oriri, quod et notissimum verbum est et hic intellectum planissimum habiturum erat; accedit quod non quantum sua voluntate iratus impedit sed quantum imprudens amittat dicendum est; itaque repudiata speciosa illa conjectura statui aliquam vocem excidisse; vereor tamen ne sic quoque id quod verum est, nondum repertum sit. — *Ib.* § 7 (5). *a nimio sui suspectu eveniat* Sic edidi partim codicem A., partim praeclaram Erasmi emendationem secutus, qua nihil verius; neque enim decet frugibus inventis glande vesci et acquiescere in illa codicum scriptura depravata: *animi suspectu*. Legitur *nimius sui suspectus* de Benef. II, c. 26, 1. ut *nimia aestimatio sui* Dial. IV, c. 21, 5. VII, c. 10, 2. — CAP. VI, 1. *fulminantur* habet cod. A. sec. m. edd. vet. atque id recipiendum fuit, quia actionem aliquam inferioribus illis tribuere non est e Senecae mente, qui Dial. XII, extr. dicit *hoc tonitribus, fulminibus, ventorum statibus ac nimborum nivisque et grandinis jactu tumultuosum spatium*. Forma passiva optime convenit in illius aetatis dicendi genus, adeo ut ne testimonio quidem in re aperta opus sit; non deest tamen; vid. Sen. Herc. Oet. 7. — CAP. VII, 2. *nec audaces et improbae* et praebuit cod. A. pro vulgato *nec*, rectissime; neque enim tria genera actionum significantur, sed duo; improbae sunt audacibus proximae; oriuntur e desideriiis improbis, quae infra dicit c. 30, 4. — CAP. VIII, 7 (5). In edd. omnibus legitur *nihil asperum tetrumque palpanti est*. contra in codd. omnibus *territum* aut *teritum*; illud verum esse non potest; non enim *tetrum* significat id, quod tactus aspernatur; itaque restitui quod est in libris mss., quamquam id quoque corruptum aut certe dubium est; conicias enim dici id de equis calcitrosis, qui vel levem tactum ferre non possunt; certe aliquod ex equisonum lingua vocabulum hic positum esse verisimile est. — CAP. IX, 3 (2). Non recte ac particulam ante *lassitudinem* adjeci; video enim Senecam nonnunquam per

unam vocem *aeque* novum aliquod rerum genus prioribus adjungere; vid. Nat. Qu. II, c. 21, 1. Dial. VII, c. 15, 6. ubi item *ac* praeter necessitatem addidisse videor. — *Ib.* § 4 (3). *in media* scripsi e cod. A; qui *inedia* pro illis posuerunt, nesciverunt *media* de corporis partibus intelligenda esse, ut *summa* paulo post c. 10, 3 (2). Dial. IV, c. 3, 3. — CAP. XIII, 4 (3). *Contra [uos] potens malum* Quamquam ego quoque non reperi aliam hujus loci sanandi rationem, quam ut *nos* ab interprete esse dicam, nolui tamen plane abjicere vocem, quae est in omnibus codd. — CAP. XIV, 2 (3). *vino lentus* scripsi duabus vocibus, quas si in unam conjungas, significatio ab hoc loco aliena erit, id quod dudum senserunt li. qui vel tremulentum vel violentum Cambysen finxerunt. Ceterum simillimo vitio, quod in Nat. Qu. II, 53, 2 libros invasit, uti sic possis, ut commendes conjecturam hanc *gravis vino ac lentus*. — *Ib.* § 6 (7). Adjeci pronomen *ei* post *praeciperet*, ubi id facillime excidere potuit; aequae enim et verbum illud desiderat dativum et sequens pronomen relativum aliquam vocem, quo referatur. — CAP. XVIII, 1. Quamquam ad sententiam hujus loci nihil admodum desideramus, tamen vitii signum posui ante *supplicabal*, quia ibi in cod. A interposita est littera N., in aliis R. N. P. quod quam vel causam vel vim habeat, ego non magis repperi quam alii. — *Ib.* § 2. vocem *hujus* quia in A. pr. m. omisit, ego quoque omitendam indicavi. — *Ib.* § 4 (3). Ante voces *sine dilatione* suspicor excidisse et particulam. — CAP. XIX, 1. Poenitet nunc, quod *aberrare alicui* cum F. ex ejus conjectura scripsi; cum enim in cod. A. sit *aliqui*, videtur vetus aliquis corrector supra posuisse *o* litteram, quam cum alii male inferrent, scripserunt *alioqui* vel *alioquin*, ut habent plerique codd. mss.; recte autem inferitur ita, ut scribamus *aliquo*, quod mihi verum videtur; vid. de Benef. VII, c. 26, 5. *quid levitatem semper aliquo transsilientem loquar?* Nat. Qu. I, 5, 6. III, 11, 1. VI, 20, 2. 30, 2. — CAP. XX, 2. *Macrobidae* scripsi, quia est in optimis et plurimis codd. *Macrobidae*, in reliquis similia, in nullo quod vulgo receptum *Macrobii*; nec de forma illa nimis suspiciosum esse convenit. — CAP. XXII, 2. Non nego posse in male existimando simul male dicendi notionem inesse, neque id tamen eo valet, ut si quis male existimat, id etiam audiri dicatur; vid. epist. 31, 10. 63, 10. 68, 5. 70, 12. 107 extr. Sen. rhet. controv. IX, p. 144. ed. Bip. Praeterea si id ferendum putes, e Gronovii conjectura scriptum oportuit *existimabant*. Quare cautius visum est cum Pinc. v. l. et edd. Curionis et Gothofr. *qui* pronomen addere. — CAP. XXV, 1. *in quam non occurrat injuria* Vulgo *incurrat*; illud obtulit cod. A. — CAP. XXVII, 3 (2). *hoc enim primum? hoc enim extremum?* Posui interrogandi signa; neque enim aliter haec recte intelligi possunt; de *enim* particula cf. supra ad Dial. IV, c. 21, 7. — *Ib.* § 4 (3). *an semper haec cogitatio permanebit?* Fortasse scribendum est: *haec agitatio*. — *Ib.* § 5. (XXVIII, 1.) *cum bene te ipse succenderis* Gravissimus hoc loco error ab Erasmo primum commissus et deinde per omnes editiones propagatus est, cum scriberetur non *cum bene*, sed *nisi bene*, idque non ex ullo libro ms. sed de conjectura Erasmi; ac plurimi quidem libri particulam omittunt; *cum* autem est in cod. optimo et duobus aliis, quo restituto rectius jam Senecae sententia percipietur; hoc enim dicit: ira interit sua sponte; tempore exstinguitur, nec potest quisquam ita se custodire, ut semper iratus sit, nec iram ita alere et renovare, ut fiat sempiterna; quare magis decet, finem ejus facere potius quam exspectare, et vincere eam nostra voluntate potius quam ipsam nobis

invitis per se victam concidere. Licet enim mihi huic rei ipsa partim Senecae verba adhibere, quae Dial. VI, c. 8, § 2 et 3 in pari de luctu praecepto posuit, eademque opera demonstro ibi quoque injuria repudiatam esse codicum scripturam: *non te ipsa custodis* et receptam hanc: *nunc te ipsa custodis*, quamquam video aliud suadere posse locum similem epist. 63, 3. Verumtamen hoc loco qui *nisi* scripserunt, id ipsum fieri posse statuunt necesse est, quod non posse fieri Seneca docet; illi enim hanc sententiam efficiunt: si bene te ipse succenderis et subinde causas irae renovaveris, ira permanebit; si id non feceris, sua sponte discedet. Seneca vero hoc voluit: quamvis te ipse succenderis et subinde causas irae renovaveris, tamen illa sua sponte discedet. Restat ut de usu particularum *cum bene* dicam, qui parum adhuc explicatus est; nam Handius quidem in Tursell. II, p. 5 unam formulam *vix bene* paucis attigit: illam ne verbo quidem memoravit; est autem utriusque hoc commune, quod *bene* vox a propria vi sua paulum deflexa non significat id quod *bono modo* fit sed quod *re vera*, neque, ut ita dicam, modum essentiae definit, sed veritatem affirmat. Itaque *vix bene natus* apud Ovid. Her. XI, 108 est is, de quo *vix* recte dicere liceat natum esse; et *vix bene desideram* apud eundem Fast. V, 278. pariter explices: *vix* jam recte dici poterat me desisse. Creber est hoc usu maxime Ovidius, cujus exempla haec uni illi ab Handio prolato addo: Metam. II, 47. XV, 669. Fast. VI, 507. Metam. III, 14. VII, 774. XI, 260. XIII, 944. Et Seneca *vix* unum huc referas, quod de Benef. I, 14, 1. *vix bene notum* dicit, contra ib. IV, 11, 3. *vix satis notum*. Altera illa formula *cum bene* saepe cum levi ironiae colore dicitur in rebus iis, quae quamquam factae sane sunt et vere perfectae, tamen vel efficiunt id quod non expectes vel non efficiunt quod expectes. Vid. Tibull. II, 6, 14. *Jurari quotiens rediturum ad limina nunquam! cum bene juravi, pes tamen ipse redit*. quo loco errant qui *bene jurare* exponunt ita ut sit *sancte jurare*, vel *valde, magnopere*. Cf. Ovid. Trist. V, 7, 33. *Cum bene devoti* (carmina), *nequeo tamen esse sine illis*. Am. I, 1, 17. S, 37. II, 2, 32. 9, 27. III, 8, 7. A. A. I, 419. II, 461. Epp. ex P. I, 3, 27. 5, 53. quae omnia singulatim enarrare non opus est. Seneca vero ab hoc usu non abhorruit; vid. de Benef. VI, 15, 4. *Cum bene ista laudaveris, tanti sunt, quanto pluris venire non possint*. Ib. VII, 10, 6. *cum bene ista — circumspexerit superbumque se fecerit, si quicquid habet, ei quod cupit comparet, pauper est*. Cf. Dial. VI, 11, 3. IX, 1, S. X, 14, 3. Illud dissimile Dial. XI, c. 2, 2 (3). *cum bene illum circuisses*. — CAP. XXVIII, 5. *patriam* scripsi ex cod. A. pro vulgato *patrum*. — CAP. XXX, 1. (XXIX, 4.) *in praepositionem post vides* quoniam A codex omittit, ego quoque abjiciendam judico. — Ib. § 5 (3). *Cimbrum Tullium* scripsi, non *Tullium*; nam ne de aliis causis dicam, ipsum quoque illud huic scripturae favet, quod in A et aliis codd. est *uillium*, in quo prima littera orta videtur ex longobardica forma *t* litterae. — CAP. XXXII, 2 (1). *loquemur* recepi ex cod. A. et aliis duobus vetustisque edd.; quod vulgatum est *loquimur*, videtur *nunc* particulae gratia scriptum esse. — Ib. § 3 (2). Verisimile mihi est Senecam scripsisse *intueri tamquam omnia — puerilia sint*, non *quam*, quod aut errore ortum aut etiam ideo inductum, quia paulo post sequitur: *videre, quam humilia et abjecta sint*. sed quod ibi rectissime dicitur, id hic aptum non videtur, ubi adversarius queritur nimium exigere Senecam, si jubeat omnia, per quae laedi videamur, tamquam exigua,

misera, puerilia intueri. De usu vero non dubitandum; vid. Nat. Qu. III, praef. § 14. *ce-tera — sic intueri, quasi exitura.* — Dial. XII, c. 13, 2. *ultimum diem non quasi poenam sed quasi naturae legem adspicere.* Dial. VI, c. 1, 1. *nisi scirem — mores tuos velut aliquod antiquum exemplar adspici.* Dial. IX, c. 11, 8. *si quis omnia aliena mala — sic adspexerit, tamquam liberum illis et ad se iter sit.* Epist. 61, 1. — CAP. XXXIII, 3 (2). *propter usuram * aut milensimam*] Depravato haud loco quomodo succurrendum sit nescio; illud scio non recte vulgo edi: *propter usuram haud milesimam*; nam praeterquam quod inaudita est et in feneratorum avarissimo plane incredibilis usura milesima, illud quoque vitiosum, quod contra omnium librorum mss. auctoritatem *haud* scriptum est pro *aut*. Sciendum enim *haud* particula Senecam omnino usum non esse nisi in versibus; vid. epigr. 5, 4. legitur ea vulgo etiam epist. 16, 2 sed loco item vehementer corrupto, ubi *haud* non est nisi in deterioribus libris; et pro-fecto utroque horum locorum aliam emendandi viam iniissent editores, si usum Senecae satis cognitum habuissent, cujus ignoratione nonnulli etiam de conjectura *haud* partem inferendam censuerunt, veluti Erasmus epist. 86, 13. Pincianus Nat. Qu. III, c. 7, 4. Gronovius epist. 58, 16. Vonckius epist. 7, 7. Ego igitur *aut* intactum reliqui, indicio id esse ratus, aliquid h. l. excidisse. Deinde quoniam manifestum est non domi manentem feneratorum intelligi, quod Ruhkopfius opinatus est. sed ne ipsis quidem morbi accessionibus retentum, quominus compareat in iudicio cum debitoribus, quos per vadimonia adesse coegit, *comparandum* scripsi, ut jam olim Curio et Gothofredus, cum in libris mss. sit *comparandum*; cf. epist. 53, 9. denique *pro relictis*, quod ineptum esse nemo negabit, audacius scripsi *retentus*; neque enim lenior medicina recurrit; illud certe dubium non est, quin recte dicatur *ad comparandum non retentus*; ita Seneca etiam *repugnare* et *officere* cum *ad* praepositione coniuñxit, cujus usus omnino est apud eum et frequentissimus et admodum varius; vid. Nat. Qu. III, c. 26, 3. IV, c. 11, 3. item *obstare* epist. 62, 1. 71, 10. et *deterrere* de Benef. VII, 31, 5. ubi ea constructio male a quibusdam mutata est. — CAP. XXXIV, I. *Vox naturae*. quae deest in uno cod. E. sec. XIV, mihi suspecta est; videtur enim interpres aliquis ad sequentia illa: *sermo homini datus adscripsisse naturam vel a natura*, quod deinde alieno loco inter Senecae verba relatum et horum structurae accommodatum. — lb. § 2. restitui scripturam vulgatam *tristes*, quia quod in codd. est *triste* non video quomodo defendi possit. Paulo post manifestum esse arbitror excidisse aliquid inter *captatus* et *criminator*; illud enim pertinet ad senem aliquem *orbis senectutis regnum exercentem*, qui diu captatus denique captantem fefellit; hoc vero spectat eum, cujus erminationibus alicui lucrum aliquid vel quaestuosae domus gratia vel favor principis aut tale aliquid ereptum est; cf. Dial. II, c. 9, 2. — CAP. XXXV, 5 (4). Voces *qui mensam* vix sanae videntur; ego scripserim aut *neque mensam*, aut *qui non mensam*, ut sit anaphora. Deinde pro *calcare* scribendum visum est *calcari*; in illo enim translatio esset vel Senecae nimis audax; desiderant oculi illi *domum etiam qua calcatur pretiosam*, ut ait Dial. IX, c. 1, 8. cf. Epist. 86, 6. — CAP. XXXVI, extr. (XXXVII, 1). *rectorem* praefero cum cod. A. — CAP. XXXIX, 3. *pudorem illi cur non resistat*] Nolle me *cur* e conjectura scripsisse, quod volebam accipi in modum talium exemplorum, qualia Hand. Tursell. II, p. 177 collegit; sed jam non reperio, cur improbetur quod in libris est *cui*, in quo intelligas *pudorem*. — CAP. XL, 1. *cum potueris* restitui, ut olim vulgatum; et sic habet A sec. m. cum

aliis; *cum poteris*, quod F. recepit, videtur aut errori aut emendationi ejus deberi, qui planiorem et faciliorem dicendi rationem et aequalitatem temporum restituendam putaret. — CAP. XLI, 2. Lacunam esse ante *pacem* nollem Fickertus negasset; necesse enim est expositum fuerit h. l. quid faciendum sit, si magna potentia uti non liceat, quomodo ira tractanda sit, quae non est immanis et sanguinaria, item ea, cujus primus impetus jam praeteriit; et cum consentaneum sit paulatim a difficillimo et vehementissimo genere ad lenius processisse orationem, ultimo loco actum esse apparet de animo eo, qui jam fere ad se rediit et capax est ejus pacis, quam salutarium praeceptorum assidua meditatio et philosophiae studium dare possit; ac mihi quidem ne sententia quidem illa plena videtur esse: *pacem demus animo*, sed suspicor et particulam aliquam fuisse, unde penderet conjunctivus *demus*, et alia praeterea, quibus quid illa pax praestet, quae a vulgo hominum pro segnitie haberi possit, expositum sit. — CAP. XLIII, 1. *quae vos pares faciat*] Ita ex cod. A scribendum fuit, non *nos*, ut vulgo; intelligitur enim is, ad quem adhuc oratio conversa est, et ii vel superiores vel humiliores, cum quibus ille inimicitias exercet; hos mors pares facit, horum contentionem terminat, in qua Senecae nullae partes sunt.

Sed haec hactenus; quae cupimus ut et ad legenda et ad emendanda egregia Senecae opera aliquid habeant vel invitamenti vel auxilii. Valete.

Dabamus Vratislaviae mense Januario a. MDCCCLII.

The first part of the document discusses the importance of maintaining accurate records of all transactions. It emphasizes that every entry should be supported by a valid receipt or invoice. This ensures transparency and allows for easy verification of the data.

In the second section, the author outlines the various methods used to collect and analyze the data. This includes both primary and secondary data collection techniques. The analysis focuses on identifying trends and patterns over time, which is crucial for making informed decisions.

The third section provides a detailed breakdown of the results. It shows that there has been a significant increase in sales volume, particularly in the online channel. However, the profit margins have remained relatively stable, indicating that the additional revenue is being effectively managed.

Finally, the document concludes with several key recommendations. It suggests that the company should continue to invest in digital marketing and customer service to maintain its competitive edge. Additionally, it advises on ways to optimize the supply chain to reduce costs and improve efficiency.

ORDO THEOLOGORUM EVANGELICORUM.

DAVID SCHULZ, Dr. P. P. O. h. t. Dec. Publice I. In seminario reg. theol. sodalium *exercitationes criticas et exegeticas in N. T. libris* regere perget d. Merc. h. IX. II. *Disputationes de rebus theologicis* moderabitur d. Sat. h. VIII. Privatum III. *Epistolarum Pauli ordine chronologico dispositarum posteriorem partem, ad Romanos, Ephesios, Colossenses, Philemonem et Philippenses* interpretabitur quinquies per hebdomadam, h. IX. IV. *Isagogen in N. T. libros* docebit quater per hebdomadam, h. VIII.

HENRICUS MIDDELDORPF, Dr. P. P. O. Publice I. In seminario reg. theol. sodalium *exercitationibus exegeticis et criticis in V. T.* praeesse perget d. Sat. h. XI. Privatum II. *Iesaiae raticinia* explicabit quinquies per hebdomadam, h. XI. III. *Evangelium Matthaei* interpretabitur quinquies per hebdomadam, h. X.

AUGUSTUS HAHN, Dr. P. P. O. Munere, quo fungitur, ecclesiastico impeditur, quominus per aetatem lectiones habeat.

GUILELMUS BOEHMER, Dr. P. P. O. Publice I. *Exercitationibus ad historiam ecclesiae christianae pertinentibus* in seminario reg. theol. praecerit d. Sat. h. IV. Privatum II. *Priorem partem historiae ecclesiasticae* tradet dieb. Lun. Mart. Merc. h. III. III. *Ethicen theologiam* docebit dieb. Iov. Ven. Sat. h. III. ratione habita libri sui: *Die Wissenschaft des christlichen Lebens nach Begriff, Form und Nothwendigkeit*.

CAROLUS FRIDERICUS GAUPP, Dr. P. P. O. Publice I. In seminario theol. pract. *exercitationibus homileticis* praeesse perget d. Merc. h. VIII. Privatum II. *Theologiae practicae partem primam et tertiam* (Liturgicam et doctrinam de regimine ecclesiae) tradet quinque dieb. excepto d. Merc. h. VIII. III. *Epistolas Pauli pastorales ad Timotheum et Titum* interpretabitur dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. VII.

GUSTAVUS FRIDERICUS OEHLER, Dr. P. P. O. Publice I. In seminario reg. theol. *exercitationes dogmaticas et historicas* moderari perget d. Sat. h. X. II. In seminario theol. practico *exercitationibus* praecerit *homileticis* d. Sat. h. IX., *catecheticis* d. et h. defin. Privatum III. *Theologiam dogmaticam* tradet quinque dieb. h. X. IV. *Psalms* interpretabitur quinque dieb. h. XI.

IULIUS FERDINANDUS RAEBIGER, Dr. phil. P. P. E. des. Publice I. *Epistolam ad Hebraeos* interpretabitur d. Merc. et Sat. h. XII. Privatum II. *Encyclopaediam theologiam* docebit dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XII.

IOANNES GUILIELMUS HENRICUS RHODE, Theol. Lic. Phil. Dr. Gratis I. *Historiam ecclesiasticam seculi XIX.*, dieb. Merc. et Sat. h. def. Privatum II. *Historiae ecclesiasticae alteram partem* docebit sexies per hebd. h. VII.

GEORGIUS LUDOVICUS HAHN, Theol. Lic. Phil. Dr. Privatum *Criticen et hermeneuticen N. T.* tradet dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. VIII.

ORDO THEOLOGORUM CATHOLICORUM.

FRANCISCUS ANTONIUS BITTNER, Dr. P. P. O. h. t. Dec. Publice I. *De initiis ac fundamentis catholicae theologiae moralis* disseret dieb. Lun. Merc. Ven. h. IX. II. *Totius theologiae moralis repetitiones* instituet dieb. Merc. Iov. Ven. h. XI. Privatum III. *S. S. Concilii Tridentini capita dogmatica* interpretabitur dieb. Lun. et Mart. h. XI.

IOSEPHUS IGNATIUS RITTER, Dr. P. P. O. Publice I. In seminario reg. theol. *interpretationem libri VII. historiae Eusebianae* moderabitur dieb. Merc. et Ven. h. V. II. *Epistolam S. Pauli ad Romanos imprimis in usum artis homileticae* interpretabitur dieb. Lun. et Mart. h. v. Privatum III. *Historiam ecclesiasticam usque ad Carolum Magnum* enarrabit quinquies per hebd. h. IV.

IOANNES BAPTISTA BALTZER, Dr. P. P. O. Publice I. *Theologiae dogmaticae christianae catholicae partem tertiam usque ad doctrinam de gratia* tradet dieb. Merc. et Sat. h. XII, die Mart. h. III. II. In seminario reg. theol. *exercitationes dogmaticas cum interpretatione lib. XII. et XIII. S. Augustini de civitate Dei coniunctas* moderabitur die Mart. h. IV. et v. Privatum III. *De principiis theologicis* disseret dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XII.

FRANCISCUS CAROLUS MOVERS, Dr. P. P. O. Publice I. *Criticam sacrorum librorum V. T. historiam* enarrabit dieb. Merc. et Sat. h. VII. II. In seminario reg. theol. *exercitationes historicas et criticas in V. T.* moderabitur bis per hebd. h. def. Privatum III. *Psalmorum partem alteram* interpretabitur dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. VII.

IOANNES FRANCISCUS POHL, Dr. P. P. O. Publice II. *Selecta capita theologiae practicae* pertractabit praeter diem Sat. quotidie h. IX. II. *Repetitionibus de universa theologia practica* instituendis praeerit d. Iov. h. III. Privatum III. *Artem homileticam* docebit dieb. Lun. Mart. Ven. h. III. et d. Sat. h. IX.

IOSEPHUS HENRICUS FRIEDLIEB, Dr. P. P. O. Publice I. *Locos difficiles Actuum Apostolorum* exponet dieb. Ven. et Sat. h. x. II. In seminario reg. theol. *exercitationes exegeticas in N. T.* moderabitur d. Merc. h. IV. et v. Privatum III. *Epistolam*

S. Pauli ad Hebraeos et S. Jacobi epistolam catholicam explicabit dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. h. x.

CAROLUS FRIDERICUS STERN, Theol. Lic. P. P. E. des. Publice I. *Antiquitates christianas* explicare perget dieb. Lun. et Merc. h. iv. Privatum II. *Hermeneuticen tradet et interpretandis sacrae scripturae locis difficilibus* illustrabit dieb. Mart. Iov. Ven. h. iv.

IOSEPHUS HUBERTUS REINKENS, Dr. Privatum *Historiae eccles. partem II., libri: Handbuch der Kirchengeschichte von Dr. Joseph Ignaz Ritter etc. ratione habita*, tradet dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. xi.

LUDOVICUS GITZLER, iuris utriusque Dr. P. P. O. des. Publice *Iurisprudentiam pastoralem* docebit dieb. Iov. Ven. Sat. h. vii.

ORDO IURECONSULTORUM.

PHILIPPUS EDUARDUS HUSCHKE, Dr. P. P. O. h. t. Dec. Publice I. *Ius pignorum et hypothecarum* docebit dieb. Ven. et Sat. h. xii. Privatum II. *Pandectas iuris civilis, excepto iure personarum et pignorum hypothecarumque* tradet quotidie h. viii. et ix. III. *Ius hereditarium* exponet dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. h. xii.

IULIUS FRIDERICUS HENRICUS ABEGG, Dr. P. P. O. Publice I. *Summa iuris puniendi principia sive doctrinae de iustitia poenarum, adhibito libro suo: Die verschiedenen Strafrechtstheorien* inscripto, exponet dieb. Lun. h. vi. mat. II. *Ius naturae sive philosophiam iuris examinando* repetet h. def. Privatum III. *Ius criminale commune et Borussiae secundum librum suum: Lehrbuch der Strafrechtswissenschaft*, docebit quotidie h. vii. atque dieb. Mart. et Merc. h. vi. mat. IV. *Processum civilem secundum praecepta iuris communis et Borussiae, conspectum a. 1851. et librum: Versuch einer Geschichte der Preussischen Civil Process-Gesetzgebung* *Fratisl.* 1848. a se editum secutus tradet quotidie h. viii.

ERNESTUS THEODORUS GAUPP, Dr. P. P. O. Publice I. *Ius Ha'ense a. 1235. in civitatem Noviforensem in Silesia translatum, et ius Magdeburgense a. 1261. et a. 1295. Fratislariam transmissum* interpretabitur d. Lun. h. iv. et v. Privatum II. *Ius canonicum cum iure ecclesiastico Catholicorum et Evangelicorum coniunctum* docebit quinquies per hebdomadam h. ix. III. *Historiam imperii et iuris Germanici, adhibito libello suo: Geschichte des deutschen Reiches und des Rechts in Deutschland*, tradet quinquies per hebdomadam h. x. IV. *Ius gentium positivum, quod vocant*, ex propriis schedis docebit dieb. Lun. Mart. Merc. Ven. h. xi. V. *Ius feudale commune et Borussiae, ita ut simul leges recentiores ad hanc iuris partem spectantes explicentur*, ex propriis schedis docebit dieb. Mart. et Ven. h. xii. atque d. Sat. h. xi.

GUILELMUS EDUARDUS WILDA, Dr. P. P. O. Publice I. *Speculum Saxonicum* interpretari perget duabus h. def. Privatum II. *Encyclopaediam ac methodologiam iuris universi duce libello Ludovici Arndts: juridische Encyclopaedie und Methodologie.* Monac. 1850.

tradet quotidie excepto die Iovis h. xi. III. *Ius privatum Germanicum* docebit quotidie h. x. atque die Iov. h. xi.

LUDOVICUS GITZLER, Dr. P. P. O. des. Publice I. *De ordine iudiciorum privatorum Romanorum* disseret die Iov. et Ven. h. viii. II. *Historiam ordinis iudiciorum publicorum Roman.* tradet dieb. Mart. et Merc. h. viii. III. *Ius quod ad personas pertinet* docebit dieb. Lun. Mart. Merc. h. vii. Privatim IV. *Institutiones, antiquitales et historiam iuris Romani* tradet quotidie h. ix. et x.

GEORGIUS FRIDERICUS FELIX EBERTY, Dr. Privatim *Ius naturale sive philosophiam iuris* docebit quotidie excepto die Merc. h. x.

ORDO MEDICORUM.

IULIUS GUILIELMUS BETSCHLER, Dr. P. P. O. h. t. Dec. Publice I. *Operationes obstetricias* exercebit d. et h. adhuc def. Privatim II. *De sexus sequioris morbis* disseret quater per hebd. h. vii. mat. III. *Clinicum obstetricium et morborum sexus sequioris infantumque* moderabitur quotidie h. ix $\frac{1}{2}$.

TRAUG. GUILIELMUS GUSTAVUS BENEDICT, Dr. P. P. O. Publice I. *Doctrinam de fasciis et instrumentis in chirurgiae praxi adhibendis* exponet quaternis dieb. h. v. II. *Examinatorium et repetitorium circa singula chirurgiae capita* continuabit binis dieb. hor. def. Privatim III. *Alteram chirurgiae specialis ac doctrinae de operationibus chirurgicis partem subiunctis demonstrationibus chirurgicis* proponet senis dieb. h. iii. IV. *Ophthalmiatricen* docebit quaternis dieb. h. ii. V. *Clinicen morborum chirurgicorum et morborum oculi* moderabitur quotidie h. viii. et ix.

AUGUSTUS GUILIELMUS EDUARDUS THEODORUS HENSCHEL, Dr. P. P. O. Publice I. *Encyclopaediam et hodegeticen studii medici* exponet binis per hebd. dieb. h. iii. Privatim II. *Scmiotice*n explicabit ternis per hebd. dieb. h. iii. III. *Historiam rei medicae* enarrabit quater per hebd. h. iv.

IOANNES CAROLUS LEOPOLDUS BARKOW, Dr. P. P. O. Publice I. *Examinatorium anatomico-pathologicum* instituet d. Merc. et Sat. h. ii. II. *Demonstrationes in museo zootomico* habebit d. Lun. h. ii. Privatim III. *Anatomen comparativam* tradet d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. ix Privatissime et gratis IV. *Exercitationes zootomico practicas* moderabitur quotidie h. def.

HENRICUS ROBERTUS GOEPPERT, Dr. P. P. O. Publice I. *Examinatorium de materia medica et de arte formulas medicas concipiendi* instituet d. Sat. h. xii. Privatim II. *De plantis officinalibus secundum ordines naturales sive de Botanica medica* disseret dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. x. NB. Lectiones, quae ad rem herbariam pertinent, scholis Philosophorum sunt annexae.

CAROLUS THEODORUS DE SIEBOLD, Dr. P. P. O. Publice I. *De morbis epizooticis, praecipue in hominem transeuntibus* disseret bis per hebd. Privatim II. *Phy-*

siologiam hominis docebit quotidie h. xi. Privatissime III. *Exercitationes physiologicas et indagaciones microscopicas in instituto physiologico instituendas* moderabitur quotidie hor. def.

FRERICHS, Dr. P. P. O. Publice I. *De renum morbis* disseret, h. def. Privatim II. *Pathologiae ac therapiae specialis partem priorem* docebit, h. def. III. *Exercitationes medicoclinicas* moderabitur, h. def.

CAROLUS LUDOVICUS KLOSE, Dr. P. P. O. honor. Publice I. *De morbis mentis* disseret d. Lun. et Iov. h. ii. Privatim II. *Pathologiam generalem* exponet d. Lun. Mart. Iov. Ven. h. iii.

CAROLUS IULIUS GUILIELMUS PAULUS REMER, Dr. P. P. E. Publice I. *De ossium fracturis et luxationibus* disseret ter per hebd. h. def. Privatim II. *Operationes chirurgicas demonstrabit et exercitationes in cadaveribus* moderabitur quotidie h. vi. mat.

IOANNES IOSEPHUS SEIDEL, Dr. Gratis I. *Medicamina e regno animali oriunda* tradet bis per hebd. h. def. Privatim II. *Universam materiam medicam* exponet quotidie h. def.

CAROLUS GUILIELMUS KLOSE, Dr. Gratis I. *Aretaei opera* explicabit bis per hebd. h. def. Privatim II. *Medicinam forensem* docebit ter per hebd. h. iv.

IOANNES AUGUSTUS BURCHARD, Dr. Gratis I. *De morbis infantum adnexo cursu vaccinationis* disseret bis per hebd. h. def. Privatim II. *De arte obstetricia* disseret quater per hebd. h. def. III. *De diagnosi et operationibus obstetriciis* disseret bis per hebd. h. def.

IOANNES CAROLUS CHRISTIANUS KUH, Dr. P. Gratis *de herniis* disseret semel per hebd. h. def.

HENRICUS NEUMANN, Dr. Gratis I. *De nosocomiis mente captis dicatis* disseret semel per hebd. h. def. Privatim II. *Diaeteticen psychicam* docebit ter per hebd. h. def. III. *Psychologiam forensem* docebit quater per hebd. h. def.

THEOBALDUS BASILIUS PAULUS REYMANN, Dr. Gratis I. *Examinatorium de singulis therapiae capitibus* habebit bis per hebd. h. def. Privatim II. *Therapiam generalem* exponet quater per hebd. h. vi. mat. III. *Therapiam specialem* tradet quotidie h. vii. mat. IV. *Ascultationem medicam* explicabit quater per hebd. h. def.

GUILIELMUS HENRICUS CAROLUS GROSSER, Dr. Gratis I. *Anatomiae chirurgicae capita selecta* exponet semel per hebd. h. def. II. *Constructionem et usum microscopii demonstrationibus practicis* illustrabit semel per hebd. h. def. Privatim III. *Osteologiam et syndesmologiam* tradet bis per hebd. h. def. IV. *Angiologiam* docebit bis per hebd. h. def. V. *Histologiam pathologicam* exponet et *demonstrationibus microscopis* illustrabit bis per hebd. h. def.

ALEXANDER DE FRANTZIUS, Dr. Privatim I. *Histologiam* docebit quater per hebd. h. def. II. *Embryologiam* docebit bis per hebd. h. def.

IOSEPHUS NEISSER, Dr. Gratis I. *Fundamenta medicinae practicae rationalis* exponet bis per hebd. h. def. Privatim II. *Pathologiam et therapiam specialem* tradet denis per hebd. h. def.

ORDO PHILOSOPHORUM.

ADOLPHUS FRIDERICUS STENZLER, Dr. P. P. O. h. t. Dec. Publice I. *Grammaticam linguae Sanscritae* docebit d. Lun. et Iov. h. III. II. *Scriptores Sanscritos difficiliore*s interpretari perget d. Mart. et Ven. h. III.

IOSEPHUS IOANNES ROHOVSKY, Dr. P. P. O. Publice I. *De recta philosophandi ratione* disputabit d. Sat. h. VIII. II. *Ciceronis somnium Scipionis* interpretabitur d. Sat. h. VII. Privatim III. *Principia philosophiae Kantianae, Fichtianae, Hegelianae* examinabit dieb. Iov. et Ven. h. II. IV. *Platonis Symposium* explicabit dieb. Merc. Iov. Ven. h. VII.

IOANNES LUDOVICUS CHRISTIANUS GRAVENHORST, Dr. P. P. O. Publice I. *Historiam naturalem mammalium*, duce Cuviero tradet, dieb. Mart. et Ven. h. XII. Privatim II. *Zoologiam ex enchiridio suo, Vergleichende Zoologie* inscripto, docebit quotidie h. x.

CHRISTIANUS GODOFREDUS NEES AB ESENBECK, Dr. P. P. O. scholas non habebit.

CAROLUS ERNESTUS CHRISTOPHORUS SCHNEIDER, Dr. P. P. O. Publice I. *Seminarium philologici exercitationes* moderabitur d. Merc. et Sat. h. XII. Privatim II. *Caesaris de bello Gallico librum VII. inde a cap. 23. usque ad finem* interpretabitur dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XI. III. *Syntaxis graecae* partem primam tradet d. Merc. et Sat. h. XI.

GEORGIUS HENRICUS BERNSTEIN, Dr. P. P. O. Publice I. *Hamdsae carmina* interpretabitur d. Lun. et Iov. h. XII. Privatim II. *Corani aliquot capita* exponet d. Mart. et Ven. h. XII.

GUSTAVUS ADOLPHUS STENZEL, Dr. P. P. O. Privatissime et gratis I. *Exercitationes historico-criticas* moderabitur bis per hebd. h. def. Privatim II. *Historiam Germanorum* tradet quater per hebd. h. IV.

PETRUS IOSEPHUS ELVENICH, Dr. P. P. O. Publice I. *Disputationes de rebus ad philosophiam pertinentibus* moderabitur d. Iov. h. IV. II. *Historiam philosophiae recentioris* narrare perget d. Iov. h. III. Privatim III. *Metaphysicam* docebit dieb. Lun. Mart. Merc. Ven. h. III.

ERNESTUS FRIDERICUS GLOCKER, Dr. P. P. O. Publice I. *Repetitorium mineralogicum* instituet d. Lun. h. II. Privatim II. *Mineralogiam sive oryctognosin generalem et specialem* tradet quotidie h. VI. matut. atque die Ven. h. II.

CHRISTOPHILUS IULIUS BRANISS, Dr. P. P. O. Publice I. *Disputationes de rebus philosophicis* instituet bis per hebd. Privatim II. *Ethicam et politicam* docebit quater per hebd.

IULIUS ATHANASIUS AMBROSCII, Dr. P. P. O. Privatissime et gratis I. *Monumenta, quae in museo regio asservantur*, explicabit binis horis. Privatim II. *Archaeologiam artium antiquarum* dieb. Lun. Mart. Merc. h. XII. in auditorio indic. atque d. Sat. h. VIII. et IX. in museo regio tradet.

ROBERTUS GUILIELMUS BUNSEN, Dr. P. P. O. Privatissime et gratis I. *Exercitationes stoechiometricas* instituet semel per hebd. Privatim II. *Chemiã experimentalem* docebit sexies per hebd. h. VIII. Privatissime III. *Exercitationes chemicas* moderari perget quater per hebd. h. x.

ERNESTUS EDUARDUS KUMMER, Dr. P. P. O. Publice I. *De aequationibus circuli sectiones definitibus* disseret dieb. Lun. et Iov. h. x. Privatim II. *Mechanicam sublimiorem* tradet dieb. Mart. et Ven. h. x. III. *Introductionem in analysin infinitorum* docebit dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. IX.

HENRICUS FRIDERICUS HAASE, Dr. P. P. O. Publice I. *Seminarii philologici exercitationes* reget d. Lun. h. x. d. Iov. h. IX. Privatim II. *Antiquitatum Graecarum partem priorem* enarrabit dieb. Lun. Mart. Merc. Ven. h. IX. III. *Taciti Annalium librum I.* explicabit *praefatus de auctoris vita et ingenio* dieb. Mart. Merc. Iov. Ven. h. x.

IOANNES LUDOVICUS TELLKAMPE, Dr. P. P. O. Publice I. *Repetitoria de oeconomia politica* more consueto instituet. Privatim II. *Oeconomiam nationalem* proponet quinquies per hebd. h. IV. III. *Scientiam eorum, quae ad disciplinae ac securitatis publicae curam pertinent (Polizei-Wissenschaft) et doctrinam de redditibus et sumptibus publicis (Finanz-Wissenschaft)* docebit quinquies per hebd. h. v.

MAURITIUS LUDOVICUS FRANKENHEIM, Dr. P. P. O. Privatissime et gratis I. *Exercitationes physicas* moderari perget d. Sat. h. XI. et XII. Publice II. *De calore* disseret dieb. Mart. et Ven. h. III. Privatim III. *Physicẽ* docebit et *experimentis* illustrabit quinquies per hebd. h. XII.

AUGUSTUS KAHLERT, Dr. P. P. E. des. Publice I. *De iis, qui nomine: Schle-sische Dichterschule significari solent, poetis Germanicis* disseret semel per hebd. h. XII. Privatim II. *Psychologiam* tradet ter per hebd. h. XII.

RICHARDUS ROPELL, Dr. P. P. E. des. Publice I. *Exercitationes historicas* instituet. Privatim II. *Historiam Francogallorum inde ab anno 1814.* explicabit quinquies per hebd.

GODESCHALCUS EDUARDUS GUIRAUER, Dr. P. P. E. Publice I. *De carminibus epicis praecipuis ante Christum n.,* semel disseret per hebd. h. XII. Privatim II. *Historiae generalis poësis et elegantiorum litterarum partem priorem* tradet ter per hebd. h. XII.

AUGUSTUS SCHMOELDERS, Dr. P. P. E. des. Publice I. *Linguam Arabicam* docere perget dieb. Lun. et Iov. h. x. II. *Auditoribus magis exercitatis difficiliora capita Arabica* proponet interpretanda bis per hebd. h. def. III. *Institutiones Sanscritas* continuabit dieb. Merc. et Sat. h. x.

FRIDERICUS GUILIELMUS WAGNER, Dr. P. P. E. Publice I. *Exercitationes latine loquendi ac scribendi* instituet dieb. Merc. et Sat. h. x. Privatim II. *De Euripidis vita ac poësi praefatus Hippolytum* interpretabitur dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. x.

ADOLPHUS DUFLOS, Dr. P. P. E. des. Publice I. *Chemiã analyticae elementa* tradet bis per hebd. h. VII. mat. Privatim II. *Chemiã pharmaceuticã* docebit quotidie h. VI. mat.

GUSTAVUS KIRCHHOFF, Dr. P. P. E. des. Publice I. *Theoriam mathematicam virium elasticarum eiusque applicationem ad acusticam et opticeam* docebit bis per hebd. Privatissime et gratis II. *Exercitationes physicas* moderabitur binis horis per hebd.

IOANNES GODOFREDUS GALLE, Dr. P. P. E. des. Publice I. *Sectiones conicas* explicabit dieb. Merc. et Sat. h. XII. Privatum II. *Astronomiam sphaericam* tradet dieb. Mart. Merc. Ven. Sat. h. XI.

GUSTAVUS GUILIELMUS KOERBER, Dr. Gratis I. *Excursiones ad historiam naturalem spectantes* instituet semel per hebd. Privatum II. *Botanicam generalem* tradet quinquies per hebd. h. VII. III. *Introductionem in universam historiam naturalem* docebit ter per hebd.

PAULUS EDUARDUS CAUER, Dr. Gratis *Introductionem in historiae studium sire propaedeuticam historicam* docebit bis per hebd. h. def.

CAROLUS FRIDERICUS ADOLPHIUS WUTTKE, Dr. Privatum *Historiam religionum et morum universam* tradet quinquies per hebd.

CAROLUS LEONARDUS HENRICUS SCHWARZ, Dr. Gratis I. *De ferri confectione* disseret semel per hebd. h. def. Privatum II. *Metallurgiam* docebit dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. def. Privatissime III. *Chemicas exercitationes* in laboratorio suo instituet h. def.

GUSTAVUS FRIDERICUS GUILIELMUS SUCKOW, Dr. Privatum *Artem paedagogicam* docebit ter per hebd.

EDUARDUS MAXIMILIANUS ROBERTUS GROEGER, Dr. Privatum *Philosophiam historiae tractare* perget bis per hebd. h. def.

FERDINANDUS IULIUS COHN, Dr. Gratis I. *De plantis animalculisque microscopicis* disseret bis per hebd. Privatum II. *Anatomiam et biologiam plantarum exercitationibus microscopicis* illustrabit ter per hebd.

CAROLUS IULIUS BERGIUS, Dr. Gratis I. *Elementa oeconomiae politicae* tradet d. Merc. h. IX. Privatum II. *De reddituum publicorum ratione et administratione* disseret dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. IX.

CAROLUS ADOLPHIUS CORNELIUS, Dr. Gratis I. *Historiam Galliae inde ab a. 1789. usque ad a. 1799.* docebit semel per hebd. Privatum II. *Historiam saeculi reformationis ecclesasticae* narrabit ter per hebd.

IOANNES GUILIELMUS SCHIARENBERG, Dr. Gratis I. *Introductionem in geologiam* tradet dieb. Mart. Merc. Iov. h. VII. II. *Excursiones, quas vocant geognosticas* instituet dieb. et hor. def. Privatum III. *Geographiam physicam* docebit dieb. Mart. Merc. Iov. h. VIII.

HENRICUS ROBERTUS GOEPPERT, Med. Dr. P. P. O. Publice I. *Excursiones, quas vocant botanicas, in agro Fratislaviensi* instituet d. Sat. h. III. II. *Plantas horti botanici* exponet semel per hebd. Privatum III. *Botanicam generalem* docebit dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. h. XI. IV. *Botanicam specialem seu systematicam* tradet dieb. Lun. et Iov. h. IV.

IOANNES THEODORUS MOSEWIUS, Dr. Gratis I. *Analysin operum dramaticorum Mozarti* proponet binis h. II. *De voce ad cantum formanda praecepta* dare perget binis h. III. *Cauendi exercitationes per quatuor voces* instituet binis h.

EXPEDITUS BAUMGART, Dr. Gratis I. *Legum harmoniae musicae partem I.* explicabit et exercebit trinis h. II. *Artem organi pulsandi* docebit binis h.

LECTORES LINGUARUM.

CHRISTOPHILUS HENRICUS NEUMANN, Dr. Gratis I. *Libros Samuelis grammaticae* explicabit ter per hebd. h. def. Privatim II. *Grammaticam Hebraicam exemplis e Vetere Testamento p̄ctitis illustratam* tradet ter per hebd. h. def.

SAMUEL THEOPHILUS RUEDIGER, Dr. Gratis I. *Francogallice scribendi et loquendi exercitationes* instituet dieb. Merc. et Sat. h. II. Privatim II. *Racini fabulam Litigantes* interpretabitur.

AUGUSTUS THEODORUS PEUCKER, Dr. Gratis I. *Grammaticam Neo-graecam* docebit dieb. Lun. et Iov. h. IV. Privatim II. *Grammaticam Hispanicam duce libro suo: Lehrgang zur Erlernung der spanischen Sprache* docebit binis hor. def.

ARMINIUS EDMUNDUS OTTOMAR BEHNSCH, Dr. Publice I. *Byronis „Cain“* interpretabitur semel per hebd. Privatim II. *Grammaticam linguae Anglicae* docebit bis per hebd.

ALEXANDER MAROCHETTI, Lect. Gratis I. *Tassonis carmina* interpretabitur bis per hebd. Privatim II. *Grammaticam linguae Italicae* exponet bis per hebd. III. *Italice scribendi et loquendi exercitationes* instituet bis per hebd.

VINCENTIUS KRAINSKI, Dr. Lector hon. Gratis I. *Litteraturam Slavicam* exponet d. Lun. h. III. II. *Exercitationes polonice loquendi scribendique* reget d. Mart. h. III. III. *Grammaticam Polonicam Germanis* exponet d. Merc. h. III. IV. *Grammaticam Polonicam Polonis* exponet d. Iov. h. III. V. *Litteraturam Polonicam* docebit d. Ven. h. III.

IOANNES NICOLAUS FRITZ. Gratis I. *Grammaticam linguae Polonicae* tradet secundum elementa a se edita *exercitationesque loquendi et scribendi commodas* instituet d. Mart. et Ven. h. III. II. *Elementa linguae Russicae* suis ex schedis docebit d. Iov. h. III.

Artem vel graphide delineandi vel penicillo imitandi docebit *Siegert*, rerum, quae ad physica pertinent, delineandarum *Weitz*, taxidermiam *Rotermund*, artem equitandi *Preusse*, batuendi *Loebeling*, saltandi *Arene*.

Bibliothecae Academicæ lecturis apertae patebunt diebus Lun. Merc. Iov. Sat. hor. II. et III., libros petituris et reddituris dieb. Mart. Merc. Ven. Sat. hor. XI. Leges indicat scheda in coenaculo studiis dicato proposita. Ex reliquis tribus urbis bibliothecis Rehdigerana cum Burgiana ad aedem S. Elisabethae consociata patebit diebus Merc. et Sat. ab hora II. ad IV.; ea autem, quae est ad aedem S. Bernardi, singulis diebus Iovis eisdem horis; de tertia, quae ad aedem S. Mariae Magdalенаe servatur, conveniendus singulis diebus Saturni ab hora X. ad XII. bibliothecarius est, qui est gymnasii M. Magdalenensis rector.

Collectiones rerum et instrumentorum ad physicam, astronomiam, anatomen, physiologiam, zoologiam agrorumque culturam pertinentium, artis et antiquitatum Museum et pinacotheca, inspiciendi venia suo loco et tempore impetrata, monstrabuntur.

PA
6661
D8H3

Haase, Friedrich
Ad L. Annaei Senecae
dialogorum libros V
adnotationes criticae

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

